


# [ST]UDIA IN ANYTES POETRIAE [...] VITAM ET CARMINUM RELIQUIAS.



M. J. BAALE.





# STUDIA IN ANYTES POETRIAE VITAM ET CARMINUM RELIQUIAS.

# STUDIA IN ANYTES POETRIAE VITAM ET CARMINUM RELIQUIAS.

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE

QUOD

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

I. M. J. VALETON

LIT. HUM. DOCT. ET IN FAC. LIT. PROF.

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE

ET

LITERARUM HUMANIORUM DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA

HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN UNIVERSITATE AMSTELODAMENSI

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS PUBLICO EXAMINI SUBMITTET

MARIA JOANNA BAALE

NATA GRONINGAE

DIE III MENSIS IULII ANNI MDCCCCIII HORA IV

IN AULA ACADEMICA.

HARLEMI

Apud J. L. E. I. KLEYNENBERG.

MDCCCCIII.


LIBRARY
JUL 20 1961
UNIVERSITY OF TORONTO

PARENTIBUS OPTIMIS CARISSIMIS.

Studiis academicis finem impositura iucundo fungor officio, ut viris clarissimis, quorum lectionibus tot per annos interfui, gratias agam quam maximas.

Ante omnes autem tu mihi es nominandus, clarissime Kuiper, promotor aestumatissime. Non solum enim me adduxisti, ut tuum exemplum secuta accederem ad studia aetatis Alexandrinae, verum etiam in componendo hoc libello me consiliis adiuvare, adhortationibus incitare numquam desiisti. Grato semper animo tuae erga me benevolentiae memor ero.

Et tibi, vir clarissime Naber, qui per academicorum annorum priorem partem viam mihi monstrasti in Graecarum litterarum studio et hodie etiam benignitate tua devincire me pergis, grates ago habeoque sinceras.

Grata cum recordatione, clarissime Six, et tua benevolentia, quam saepius sum experta, in mente mihi versatur.

Nec umquam ex animo meo discedet memoria institutionis tuae, vir clarissime Uhlenbeck, qui, antequam in Academiam Lugduno-Batavam es profectus, linguae Sanskriticae studio me initiavisti.

Vobis quoque, viri clarissimi van den Es, Karsten, Valeton, permulta me debere profecto numquam obliviscar.

Nec non grata memoria prosequor lectiones virorum clarissimorum Pierson et Spruyt, quos eheu nobis eripuit amara mors.

Postremo gratiae mihi sunt agendae viro doctissimo Burger, bibliothecae Universitatis Amstelodamensis praefecto, atque in universum omnibus, qui mihi hanc dissertationem conscribenti operam suam navaverunt.

# PRAEFATIO.

Pericles in praeclara laudatione funebri, postquam civium occisorum parentes est consolatus et filios atque fratres admonuit, ut cognatis suis optime meritis dignos se praestarent, viduas hisce est allocutus verbis: εἰ δέ με δεῖ καὶ γυναικείας τι ἀρετῆς, ὅσαι νῦν ἐν χηρείᾳ ἔσονται, μνησθῆναι, βραχείᾳ παραινέσει ἅπαν σημανῶ. τῆς τε γὰρ ὑπαρχούσης φύσεως μὴ χείροσι γενέσθαι ὑμῖν μεγάλη ἡ δόξα καὶ ἧς ἂν ἐπ' ἐλάχιστον ἀρετῆς πέρι ἢ ψόγου ἐν τοῖς ἄρσεσι κλέος ᾖ.[1] Eam igitur mulieribus praescripsit vitam, in qua sese applicarent ad res domesticas iisque suasit, ne conarentur gloriam adipisci inter viros. Sine dubio Pericles, talia praecepta cum daret feminis de ratione, qua agerent vitam, non sibi peculiarem protulit opinionem, sed expressit fere, quae tunc temporis optimus quisque Atheniensis iudicabat de iusto in civitate mulierum statu. In perlegendis Atticis scriptoribus saepenumero animadvertimus ita inter se opponi viros ac mulieres, ut sexus virilis non modo dicatur validior sed etiam maiore praeditus ingenio,[2] unde fiat ut hic solus sit aptus ad colendas felici eventu artes ingenuas et disciplinas.

Tali ductus opinione in Platonis convivio Eryximachus

---

1) Thuc. II 45. § 2.

2) Veluti in Plat. Conv. Cap. 9 Pausanias sexum virilem designat his verbis: τὸ Φύσει ἐρρωμενέστερον καὶ νοῦν μᾶλλον ἔχον. In eiusdem Cratylo Cap. 12 Socrati roganti: Πότερον οὖν αἱ γυναῖκες ἐν ταῖς πόλεσιν Φρονιμώτεραί σοι δοκοῦσιν εἶναι ἢ οἱ ἄνδρες, ὡς τὸ ὅλον εἰπεῖν γένος; Hermogenes nihil cunctatus respondet: Οἱ ἄνδρες.

tibicinam, quae modo intravit, relegat ad mulieres in interiore aedium parte morantes, quarum cum aliquo contemptu facit mentionem, quod ipsae sese sermonibus delectare nequeant; dicit enim: *εἰσηγοῦμαι τὴν μὲν ἄρτι εἰσελθοῦσαν αὐλητρίδα χαίρειν ἐᾶν, αὐλοῦσαν ἑαυτῇ ἢ ἂν βούληται ταῖς γυναιξὶ ταῖς ἔνδον, ἡμᾶς δὲ διὰ λόγων ἀλλήλοις συνεῖναι τὸ τήμερον.* [1])

Licet igitur in universum dici possit mulieres in antiqua Graecia non maximo fuisse in honore et multo certe minores egisse partes cum in privata tum in publica vita quam hodie apud nos agere soleant, tamen iam in remota illa antiquitate non defuerunt ingenia quaedam acuta, quae aequius iudicantia de muliebri natura, per se haud ineptas ad artes disciplinasve colendas aut ad munera in civitate obeunda putarent feminas atque causas cur ipsorum temporibus maior mulierum pars viveret remota ab omni publica cura, inde potissimum repeterent, quod nimis neglegeretur puellarum eruditio. Platoni certe, componenti de Republica libros, ea mulierum vivendi ratio ante oculos obversabatur, quam potius nostrae quam ipsius aetati accommodatam dicere velis. Nam initio quinti libri Socrates, rogatus ut exponat, quae ratio in optima civitate viris cum mulieribus liberisque intercedere debeat, cum Glaucone colloquitur haec: *τάχα δὲ οὕτως ἂν ὀρθῶς ἔχοι, μετὰ ἀνδρεῖον δρᾶμα παντελῶς διαπερανθὲν τὸ γυναικεῖον αὖ περαίνειν, ἄλλως τε καὶ ἐπειδὴ σὺ οὕτω προκαλῇ. Ἀνθρώποις γὰρ φῦσι καὶ παιδευθεῖσιν ὡς ἡμεῖς διήλθομεν, κατ' ἐμὴν δόξαν οὐκ ἔστ' ἄλλη ὀρθὴ παίδων τε καὶ γυναικῶν κτῆσίς τε καὶ χρεία ἢ κατ' ἐκείνην τὴν ὁρμὴν ἰοῦσιν, ἥνπερ τὸ πρῶτον ὡρμήσαμεν· ἐπεχειρήσαμεν δέ που ὡς ἀγέλης φύλακας τοὺς ἄνδρας καθιστάναι τῷ λόγῳ. Ναί. Ἀκολουθῶμεν τοίνυν καὶ τὴν γένεσιν καὶ τροφὴν παραπλησίαν ἀποδιδόντες, καὶ σκοπῶμεν, εἰ ἡμῖν πρέπει ἢ οὔ. Πῶς; ἔφη. Ὧδε. τὰς θηλείας τῶν φυλάκων κυνῶν πότερα*

---

[1]) Plat. Conv. Cap. 5. initio.

*ξυμφυλάττειν οἰόμεθα δεῖν, ἅπερ ἂν οἱ ἄρρενες φυλάττωσι, καὶ ξυνθηρεύειν καὶ τἆλλα κοινῇ πράττειν, ἢ τὰς μὲν οἰκουρεῖν ἔνδον ὡς ἀδυνάτους διὰ τὸν τῶν σκυλάκων τόκον τε καὶ τροφήν, τοὺς δὲ πονεῖν τε καὶ πᾶσαν ἐπιμέλειαν ἔχειν περὶ τὰ ποίμνια; Κοινῇ, ἔφη, πάντα· πλὴν ὡς ἀσθενεστέραις χρώμεθα, τοῖς δὲ ὡς ἰσχυροτέροις. Οἷόν τ' οὖν, ἔφην ἐγώ, ἐπὶ τὰ αὐτὰ χρῆσθαί τινι ζῴῳ, ἂν μὴ τὴν αὐτὴν τροφήν τε καὶ παιδείαν ἀποδιδῷς; Οὐχ οἷόν τε. Εἰ ἄρα ταῖς γυναιξὶν ἐπὶ ταὐτὰ χρησόμεθα καὶ τοῖς ἀνδράσι, ταὐτὰ καὶ διδακτέον αὐτάς. Ναί. Μουσικὴ μὲν ἐκείνοις τε καὶ γυμναστικὴ ἐδόθη. Ναί. Καὶ ταῖς γυναιξὶν ἄρα τούτω τὼ τέχνα καὶ τὰ περὶ τὸν πόλεμον ἀποδοτέον καὶ χρηστέον κατὰ ταὐτά. Εἰκὸς ἐξ ὧν λέγεις, ἔφη.*[1])

Addit Socrates minime ridendam esse talem mulierum institutionem, quae vel palaestras sit apertura sexui muliebri; nondum enim diu esse, ex quo ipsorum virorum exercitationes in gymnasiis non minus inusitatae ac ridiculae viderentur Graecis neque vero aliud quidquam ridiculum esse ducendum hominibus ratione praeditis nisi id, quod sit malum. Diversitas ea, quam inter naturam muliebrem ac virilem naturam exstare negari non potest, in statuenda liberorum educatione vel in designandis iis personis, penes quas sit reipublicae gubernatio, Socratis opinione non pluris est ducenda quam exempli gratia discrimen id, quod notatur inter hominem calvum et virum comatum; talia enim discrimina has ad res omnino non pertinent. Denique non modo fieri posse existimat, ut pueri puellaeque pariter erudiantur, ut viri ac mulieres sine discrimine fungantur publicis muneribus, sed etiam legem, quae talia praescribat, reipublicae saluberrimam vocat.

Quantopere igitur distat haec Platonis sententia de mulierum statu in republica a vita ea, quam in usu quotidiano egisse novimus plerasque mulieres Graecas. Nec fugit

---

1) Plat. de Republica L. V. pagg. 451 C.—452 A.

ipsum Platonem praecepta sua de mulierum vita penitus recedere a sueta vivendi ratione, ut apparet eo loco, ubi Socratem dicentem facit haec: *Οὐκ ἄρα ἀδύνατά γε οὐδὲ εὐχαῖς ὅμοια ἐνομοθετοῦμεν, ἐπείπερ κατὰ φύσιν ἐτίθεμεν τὸν νόμον· ἀλλὰ τὰ νῦν παρὰ ταῦτα γιγνόμενα παρὰ φύσιν μᾶλλον, ὡς ἔοικε, γίγνεται.* [1])

Ceterum non modo philosophos quosdam subiit cogitatio mulieres, dummodo majore cum cura educarentur, haud indignas fore quae agerent partes quasdam in vita publica, sed revera tulit antiqua Graecia feminas aliquot, quae variis de causis haud mediocre *κλέος ἐν τοῖς ἄρσεσι* sint adeptae. Nota est res praeclaros adeo viros saepe multum debuisse matribus suis, quas per totam vitam summa coluerint pietate. Matris amore unus omnium eminuit Alexander Magnus; namque Olympiadem plus diligebat atque pluris faciebat quam ipsum patrem cumque quondam orta esset simultas inter eius parentes propter matrimonium a Philippo cum Cleopatra initum, non dubitavit Alexander matris favere partibus. Quin eius causa aliquamdiu exul patria caruit, donec tandem Demarati Corinthii opera in gratiam rediit cum Philippo. [2])

Magnam imprimis apud Spartiatas fuisse matronarum auctoritatem abunde ostendunt Plutarchi Lacaenarum apophthegmata, e quibus apparet matres Lacedaemonias solitas esse iuvenes in bellum proficiscentes strenue adhortari ad virtutem redeuntesque post bellum finitum aut laudare propter res gestas aut ob ignaviam exsecrari. Quin nonnumquam, qua erant severitate, ipsae videntur poenas sumpsisse de iis, qui male se gesserant. Veluti de matre Pausaniae, quae prima fertur attulisse lapidem ad obstruendam aediculam, in quam ille confugerat, ut fame enecaret miserum filium, haec annotat scholiasta ad Thucydidem:

---

1) de Rep. pag. 456 C.

2) Plut. Alex. 9.

*φασὶν ὅτι, ἡνίκα ἔφραξαν κατ' αὐτοῦ τὸ οἴκημα, ἡ μήτηρ αὐτοῦ Ἀλκιθέα πρώτη λίθον ἐπέθηκε. τοιαῦται γὰρ αἱ Λακωνικαὶ γυναῖκες.* [1])

Pariter ac clarorum virorum matres saepe aliquam famam sibi comparaverunt per prolem suam, nonnullae etiam mulieres innotuerunt ea praesertim re, quod matrimonium inierunt cum viris illustribus; coniugum enim gloria non sivit latere eas in tenebris, sed apud aequales et posteritatem aut claras aut interdum etiam infames eas reddidit. Audacter affirmare licet neque umquam Aspasiam tantas laudes adepturam neque ad tantam invidiam perventuram fuisse Xanthippen, nisi Socratis uxor altera, altera Periclis fuisset.

Iis autem mulieribus, quarum famam procreavit aut saltem auxit cognatio vel affinitas cum egregiis viris, opponi possunt eae, quae ipsae per se praeclaram famam sunt adeptae. Inter quas non minimi momenti videntur paucae illae, quae inclaruerunt studiis philosophicis vel poeticis. Licet enim ceteris artibus atque disciplinis vulgo abstinuerint mulieres Graecae, semel iterumque tam philosophiae quam poeticae arti studuerunt quaedam, non sine bono interdum eventu.

Inter philosophas certe primo loco nominanda esset Diotima illa, quam summis effert laudibus Plato in Convivio, si certo constaret huius mulieris personam meram umbram non esse ducendam. Quid enim? E sex orationibus, quas de Amore habent convivae in illo dialogo, longissima est et omnium consensu pulcherrima habetur ultima. Dicit

---

1) Exscripsi hanc annotationem ad Thuc. I 134 vocem *ἀπῳκοδόμησαν* ex scholiis expressis in Thuc. ed. F. Haasii. quae prodiit Parisiis a. 1855. Legitur eadem narratio apud Corn. Nep. (Paus. 5), qui auctor videtur ignorasse mulieris nomen proprium. Praeterea rem tradidit Polyaenus Strat. VIII 51., qui Theano nomen indidit Pausaniae matri.

eam Socrates, quem tamen ita disserentem facit Plato, tamquam omnem doctrinam de Amore acceperit a Diotima, quam mulierem perhibet Mantinea oriundam fuisse ac plus semel dedisse operam, ut Socrati traderet iustas περὶ τῶν ἐρωτικῶν notiones. At vero totam hanc narrationem, qua Diotimae discipulus inducitur Socrates, suspectam habent multi viri docti, e quibus hic memorare velim Arnoldum Hug, qui in ea, quam curavit, Convivii editione fecit quod potuit, ut ostenderet omnino non exstitisse Diotimam, sed fictam esse eius personam, ut sub mulieris figura loquentem faceret Plato ipsum Socratem.[1]) Quam opinionem ut commendet, his etiam utitur argumentis Platonem γυναῖκα Μαντινικήν vocantem Diotimam alludere ad τὴν μαντικήν, quam callere eam dicat nec sensu carere ipsum nomen, quo designetur illa; solam enim mulierem eam, quae a Iove magno aestimetur, impetrare potuisse Ἀθηναίοις ποτὲ θυσαμένοις πρὸ τοῦ λοιμοῦ δέκα ἔτη ἀναβολήν. . . . τῆς νόσου.[2]) Licet igitur fortasse praestet credere aut nullam umquam Diotimam vidisse diem, aut saltem, si exstiterit, non tantam habuisse vim in Socratis animum, quantam ei dederit Plato, quem philosophum novimus saepe fabulis involvisse suas ipsius cogitationes, id tamen meo quidem iudicio efficere licet et e Reipublicae loco supra exscripto et e Socratis illa in Convivio oratione, multo liberalius, quam vulgo solerent Athenienses, de mulierum mente atque ingenio iudicasse Platonem, qui non recusaverit inducere Socratem discentem quaedam ab erudita muliere.

At vero ut probemus apud antiquos Graecos non defuisse mulieres philosophiae studiis deditas, potius videndum erit de Pythagoreis, in quorum sodalicium iuxta viros feminas quoque esse receptas constat. Neque raro nec extra ordinem

---

1) Cf. Platons Symposion erklärt von Arnold Hug. ed. alterius pagg. 57—59 praefationis et annotatio ad 201 D. pag. 127 sq.

2) Plat. Conv. 201 D.

id esse factum, sed solitum esse Pythagoran sine discrimine sectatores utriusque sexus sibi asciscere docet Iamblichus, qui, quo loco septendecim recenset Pythagoricarum nomina, notissimas tantum mulieres enumerare se perhibet.[1]) Praeter ceteras autem innotuit Theano, cuius nomen semper recurrit, sicubi memorantur matronae Pythagoreae, tum quoque cum reliquarum nomina propria non tradunt scriptores.[2])

Sed iam est transeundum ad poetrias, inter quas tanta floret gloria vates Lesbiaca, ut nonnumquam plus iusto obscuraverit reliquarum famam. Nam ut praeter eam nonnullae ex antiquioribus poetriis, ut e. g. Corinna, aliquantum etiamnunc notae sint, tamen recentiorum aliquot poetriarum, quales fuerunt Anyte, Myro, Nossis, fama ita est exstincta, ut hodie ne nomine quidem tenus cognoscantur, videaturque nonnumquam sic aequalibus nostris, quasi vix tres vel quattuor poetrias tulerit antiquitas Graeca. Revera autem nequaquam ita restrictum fuisse earum numerum docet Antipatri Thessalonicensis epigramma illud, in quo cum novem musis comparantur totidem hae poetriae:[3]) Praxilla, Myro, Anyte, Sappho, Erinna, Telesilla, Corinna, Nossis, Myrtis.

Exigua opera augeri etiam potest poetriarum numerus, quum sciamus praeterea arte poetica floruisse Megalostraten,[4])

---

1) Iambl. vit. Pyth. Cap. 36 § 267 in fine.

2) Vetustissimum testimonium de Theano dat Hermesianax (Ath. XIII 71.) v. 85. Praeterea eam memorant Lucian. amor. 30 imagg. 18. Poll. X. 21. Clem. Alex. strom. IV. 522. Diog. Laert. VIII. 1. 22. VIII. 1. 26. Porphyr. vit. Pyth. § 4 et § 19. Iambl. vit. Pyth. §§ 132. 146. 265. 267. Suid. s. v. In Anth. Gr. ep. XIV. 1. Pythagoran, recensentem sectatores suos, his verbis mulieres memorantem facit auctor: τρεῖς δὲ γυναῖκες ἔασι, Θεανὼ δ'ἔξοχος ἄλλων.

3) Anth. Gr. IX. 26.

4) Hanc poetriam amasse fertur Alcman (Ath. XIII. 75).

Cleobulinen Lindiam, [1]) Moschinen, Hedylen, [2]) Melinno, [3]) Iuliam Balbillam, [4]) Eudociam Augustam. [5]) Attamen omnium longe notissimae fuerunt novem illae ab Antipatro laudatae, quo fit ut, sicubi apud scriptores est sermo de poetriis, maior pars earum nominum semper recurrat. In Tatiani Apologetae orat. ad Graecos cap. 33, [6]) ubi fit recensio statuarum poetrias repraesentantium, inter quattuordecim mulierum nomina agnoscimus omnia ea, quae continentur Antipatri epigrammate, solo Nossidis nomine excepto. Alterum exemplum praebet Eustathius, qui ad Iliadis L. II vv. 711—715 annotat haec: *ὅτι δὲ καὶ γυναῖκες ἦσαν οὐ μόνον ἄλλως σοφαί, ἀλλὰ καὶ μελοποιοί, οὐ μόνον ἐκ τῆς ῥηθείσης Πραξίλλης δῆλον, ἀλλὰ καὶ Σαπφοῦς καὶ Κορίννης καὶ Ἠρίννης. ἦν δὲ ποιήτρια κρουμάτων καὶ Χαριξένη.... εἰ δὲ γυνὴ ἐποποιὸς τὴν Πινδάρου λυρικὴν ἀπήλεγξεν ἡττηθέντος, ἱστόρηται καὶ αὐτό. Βοιωτία δὲ ἦν ἐκείνη τὸ ἔθνος, ὡς δὲ καὶ Θεανώ τις γυνὴ Λοκρὶς λυρικὴ ἦν, ἱστοροῦσιν οἱ παλαιοί. περιᾴδεται δὲ ὁμοίως καί τις Μυρώ, ἡ καὶ εἰς Ποσειδῶνα γράψασα ὕμνον.* [7])

Iam primo obtutu videmus quinque e novem nominibus ab Antipatro collectis hic etiam adesse. Diserte enim lau-

---

1) Inter alios memorant hanc Cleobuli sapientis filiam Ath. X 448 b. et Suid. s. vv. Κλεοβουλίνη et Κλεόβουλος.

2) De Hedyle et Moschine Ath. VII. 48 tradit haec: Ἡδύλη δὲ τοῦ ποιητοῦ τούτου (scl. Ἡδύλου) μήτηρ, Μοσχίνης δὲ θυγάτηρ τῆς Ἀττικῆς ἰάμβων ποιητρίας, ἐν τῇ ἐπιγραφομένῃ Σκύλλῃ ἱστορεῖ e. q. s.

3) Stobaeus Flor. VII. 13 huius poetriae servavit odam in urbem Romam.

4) Eius epigrammata, quae Thebis Aegyptiis insculpta leguntur in Memnonis statua, edid. Kaibel. Epigr. gr. ex lapid. conl. 988—992.

5) Eudociae carminum reliquias a. 1897 edidit A. Ludwich in Bibl. Teubn.

6) Usa sum ea Tatiani ed, quam a. 1851 recensuit v. cl. Otto, quae est vol. VI Corporis Apologetarum Christianorum saec. II ab eodem editi. Sequor huius ed. divisionem in capita.

7) Exscripsi haec ex ed. princ., quae in lucem prodiit Romae a. 1542.

dat Eustathius Praxillam, Sappho, Corinnam, Erinnam, Myro. Sed sextam quoque poetriam potius subobscure indicavit quam nominavit, dicens esse famam Pindarum quondam a muliere quadam Boeotia esse victum in certamine musico. Credat fortasse quis Eustathium his verbis spectare Corinnam, Tanagraeam poetriam, quae vel quinquies superavisse Pindarum dicitur apud Aelianum [1]) atque Suidan [2]) ac cuius unam saltem huiusmodi victoriam memorat Pausanias [3]); minus autem probabile id videtur hac de causa, quod huius mulieris iam antea fecit mentionem Eustathius, quo loco tamen nihil addidit de certamine aliquo musico. Sed et alteram tulit Boeotia poetriam, eam nempe quam postremo loco memorat Antipater [4]) et Eustathium hanc significasse paene certo argumento stabiliri potest. Affert enim Apollonius Dyscolus ipsius Corinnae fragmentum hoc: [5])

*Μέμφομη δὲ κὴ λιγουρὰν Μουρτίδ' ἱώνγα,*
*ὅτι βανὰ φοῦσ' ἔβα Πινδάροιο ποτ' ἔριν*

e quo apparet Myrtim, non Tanagraeam poetriam, quondam certavisse cum claro illo poeta.

Causa autem cur e novem, quas Antipater laudat, poetriis octo memorentur etiam a Tatiano recurrantque sex apud Eustathium, inde repetenda esse videtur, quod harum mulierum carmina recipi solerent in florilegia ea, quae aliquot poetarum optima quaeque opera simul divulgabant. Itaque iure asseverare licebit non mediocri laude floruisse novem illas apud antiquos, qua de causa meruisse videantur, ut

---

1) Var. Hist. XIII. 25.
2) s. v. Κόριννα.
3) IX. 22. 3.
4) Plut. Quaest. Graec. Cap. 40 Myrtis appellatur ἡ Ἀνθηδονία ποιητρία μελῶν.
5) Cf. Corinnae fragm. 21 apud Th. Bergkium in Poetis Lyricis Graecis.

etiamnunc earum carminum reliquiis studeamus demusque operam.

Postremis hisce annis de arte eius poetriae, quam tertio loco memorat Antipater, disquisitiones institui coeptae sunt a nonnullis philologis, inter quos imprimis nominandus est v. cl. R. Reitzenstein. Exposuit autem opiniones suas de illa muliere, cuius poesin quasi nova luce collustravit, in libro summo ingenii acumine conscripto, cui est titulus: „Epigramm und Skolion."

Operae pretium mihi visum est quaerere hoc specimine inaugurali, quid de Reitzensteinii aliorumque studiis illis sit iudicandum quemque locum inter poetas Graecos propter artem suam obtinuerit Anyte.

# CAPUT I.

---

## De Anytes vita.

Ante alia omnia mihi videndum erit de Anytes vita, de qua, ut iam statim id dicam, pauca tantum nobis innotuerunt. Ignoramus quo patre, qua matre nata sit, nupseritne viro necne, denique de vita eius domestica atque intima altum est silentium apud omnes auctores. De patria eius adsunt quaedam testimonia, non ea quidem omnia inter se congruentia, sed unde tamen satis probabiliter effici possit in urbe Tegea natam eam esse. Namque Pollux V. 48 tradit haec: *καὶ γὰρ ἡ Τεγεᾶτις Ἀνύτη Λοκρίδα δόξης ἐμπέπληκεν, ἐφ' ἧς τῷ τάφῳ φέρουσ' ἐπέγραψεν*, post quae verba sequitur epigramma quattuor versuum. Solet autem alius praeter Pollucem laudari testis isque locupletior, Stephanus Byzantius. Quem tamen num adhiberi liceat, dubium nonnullis videri potest. Certe nimis confidenter ita refertur eius testimonium a v. d. Knaack:[1]) „Die Heimat der A. giebt Steph. v. Byz. *Τεγέα· ἦν δὲ καὶ μελοποιὸς Ἀνύτη Τεγεᾶτις.*" Quid enim? In vetustioribus Stephani edd.[2]) l. l. legitur: *ὁ πολίτης Τεγεάτης, ὡς Ἐλεάτης καὶ θηλυκὸν Τεγεᾶτις. ἦν δὲ μελοποιὸς Αὐγὴ Τεγεᾶτις. Λέγεται καὶ Τεγεάς, ὡς Ἰλιάς. Ὀξύνεται, ὡς Σοφοκλῆς.*

Sed iam in „Lucae Holstenii notis et castigationibus in

---

1) Apud Susemihl. Geschichte der griechischen Litteratur in der Alexandrinerzeit II. pag. 529 ann. 49.

2) E. g. in edd. amstelaed. quae sunt editae a. 1678 et a. 1725.

Stephanum Byzantium"[1]) corrigitur locus supra laudatus; etenim post voces: *Ἦν δὲ μελοποιὸς Αὐγὴ Τεγεᾶτις* annotantur haec: „M. S. S. *Ἀκύτη*. Legendum *Ἀνύτη*. Fuit celebris poetria e. q. s." Deinde si inspexerimus eam Stephani editionem, quam a. 1849 curavit Meinekius pag. 610 hanc inveniemus annotationem: „*Ἀνύτη* Leopardus, *Αὐγὴ* libri: nam *Ἀκύτη*, quod ex Palatino utroque affertur, Salmasii coniecturam esse suspicor, quem non dubium est *Ἀνύτη* voluisse.[2]) nescio igitur an Stephanus scripserit: *ἦν δὲ καὶ μελοποιὸς Ἀνύτη [Τεγεᾶτις. καὶ Αὔγη] Τεγεᾶτις*." Sequens Meinekii annotatio sic se habet: „*Τεγεάς ὡς Ἰλιάς ὀξυτόνως, Σοφοκλῆς*.? Sophoclis memoria spectat, opinor, ad Aleadas fabulam, in qua mater Telephi *Τεγεάς* dicebatur." Habet Meinekii lectio quo se commendet, quia, eam si recipimus, non cogimur removere a textu Auges nomen. Verisimile enim est Stephanum, quo loco agat de mulieribus Tegeaeis, etiam memoravisse Augen, Telephi matrem, quae ex ea urbe oriunda erat, atque haec suspicio etiam confirmatur ea re, quod statim postea Sophoclis fit mentio, qui scripsit Aleadas et Telephum tragoedias. Litterarum ductus in vocibus *Αὔγη* et *Ἀνύτη* non multum differunt idque fortasse fecit, ut quaedam exciderint in codd. Itaque gaudemus, quod Pollucis opera laceram Stephani loci condicionem sanare possumus, quae ratio emendandi tum praesertim

---

1) Quas edidit Theodorus Rijkius a. 1692 Lugduni Batavorum.

2) Haec verba recte ut intelligantur, cf. Meinekii Praemonitum, in quo pagg. IV et V legimus: „Salmasius usus est duobus codicibus Palatinis. . . . altero vetustiore, altero recentiore, eorumque lectiones ad marginem exemplaris sui adnotavit, quod ipsum a. 1626 ad Lucam Holstenium misit. . . . sed sua ipse mala manu in pessima ac bibula charta scripta esse confitetur. . . . Salmasium exemplari suo ad Holstenium misso non tantum Palatinorum librorum lectiones allevisse, sed suas quoque ipsius coniecturas adscripsisse mihi persuasi, quas cum a codicum illorum lectionibus certa nota non distinxisset, plus semel Holstenius pro Palatinis lectionibus venditavit."

ab omni audacia libera esse videbitur, si demonstrari potuerit utriusque scriptoris notationem ex uno eodemque fonte manasse. In hac fontium investigatione satis intricata dux mihi erit Adamus Daub, qui in utilissima commentatione: „De Suidae biographicorum origine et fide" probasse videtur Herennium Philonem non tantum fuisse inter Suidae primarios fontes, sed permulta etiam ex hoc scriptore pervenisse in Stephani Byzantii Ethnica. Ipsa Daubii verba sunt haec:[1] „Nam praeterea ille (scl. Philo Byblius) amplissimum opus conscripsit *περὶ πόλεων καὶ οὓς ἑκάστη αὐτῶν ἐνδόξους ἤνεγκε*.... Quo in opere hominum clarorum vitae, i. e. patriae et originis, praecipuam habitam esse rationem vel inscriptio abunde docet. Nec vestigia huius libri celeberrimi prorsus evanuerunt. Stephanum nimirum Byzantium, quem in hac quaestione magno cum fructu adhiberi posse primus intellexit Wachsmuthius, in „ethnicis" Philonis scriptione ipsum usum esse contra A. Lentzium praeclare exposuit Ed. Hillerus, cuius sententiam B. Niesius (de Steph. Byz. auctor. comment. I Kil. 1873 p. 26 sq.) amplexus uberius confirmavit. Qui quidem in „ethnicis" plus centum exstare oppida ait, quorum cives inlustres ex opere Philoneo petitos esse certum sit, pariter ac nomina scriptorum qui de iis rettulisse a Stephano dicantur ex eodem fonte manaverint." Porro de ipsius Philonis auctoribus apud eundem[2]) legimus haec: „Praeter Neanthem (*περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν*), Demetrium Magnetem, Hermippum Callimacheum (in philosophorum vitis paulo largioribus) pinacographorum potissimum opera ad suum usum prorsus adposita Philo diligenter consuluisse videtur, qua re perpensa notationum eius auctoritas fidesque haud mediocriter augetur." Ii autem scriptores, quos Philonis fontes dicit Daubius,

---

1) A. Daub. De Suidae biographicorum origine et fide. Lipsiae 1880. pag. 440.

2) ibidem pag. 455. ann. 45c.

etiam praesto fuerunt Didymo, quem denuo fontem habuit Pollux [1]), ut suspicari liceat Pollucis testimonium de Anytes patria atque Stephani mutilatam notationem de Tegeaea quadam poetria ex communi vetere fonte, sive is fuerit Neanthes, sive unus ex pinacographis, sive alius quis scriptor, pervenisse ad hunc per Philonem Byblium, per Didymi opus ad illum. Quodsi ponimus sic rem se habere, hoc quoque lucramur quod Pollucis testimonium, per se satis infirmum, confirmatur et stabilitur Stephani Byzantii fide atque auctoritate.

Sed horum scriptorum notitiis obstare dicat quis lemma ep. Anth. Gr. VII 492, quod in codice Palatino sic audit: *ἀνύτης μιτυληναίας*. In Planudis codice Marciano titulo caret hoc epigramma, quod non esse scriptum a poetria nostra persuasum mihi est (id quod infra argumentis demonstrare in animo est). Sed etiamsi probari posset Anyten illius carminis fuisse auctorem, ut eius nomen retinendum foret in titulo, tamen inde necessario non sequeretur etiam nomen gentile, a Correctore additum, fide nostra dignum esse. Idem vir perperam eandem vocem *μιτυληναίας* Erinnae nomini adiunxit in titulo ep. 710 eiusdem libri, [2]) quamquam haec poetria in insula Teno nata erat. [3]) Plura vitia huius generis committuntur in Anthologiae lemmatis; v. c. Nossis, quae ipsa testata est Locris se natam esse [4]) in titulo ep. IX 332 Lesbia dicitur et quidem denuo ab eodem Correctore. [5]) Facile autem perspicimus causam, cur potissimum ex insula Lesbo oriundas dixerit ille librarius et Anyten et Erinnam et Nossidem; Sappho

---

1) Cf. W. Christ. Geschichte der griechischen Litteratur. ed. 3. pag. 774.

2) Cf. ann. ad hoc ep. in Stadtmuelleri Anth. ed.

3) Cf. Steph. Byz. s. v. Τῆνος.

4) Anth. Gr. VII 718.

5) Cf. Stadtmuellerus apud R. Weisshaeupl. Die Grabgedichte der griechischen Anthologie. pag. 10.

enim ibi magnam vitae partem degerat, ac multas discipulas erudiverat quumque ea de causa illa insula quasi poetriarum seminarium videretur, Graeci auctores, quotienscumque ignorabant alicuius poetriae patriam, Sapphus civem eam faciebant. Veluti Tatianus [1]) pariter ac Corrector Lesbiam appellat Erinnam et Stobaeus, Melinnus referens odam in urbem Romam [2]), denuo eandem insulam patriam ascribit huic poetriae. Nullius igitur momenti mihi videtur lemma ep. VII 492 ad persolvendam quaestionem de Anytes urbe natali, nec plus proficimus iis epigrammatis, quae sine ullo dubio poetriae nostrae sunt vindicanda, quippe quae nullum contineant indicium de auctoris patria neque in ipso textu neque in titulis. Verum quidem est semel Tegeae fieri mentionem ab ipsa Anyte, in ep. VI 153, cuius prior pars sic se habet:

*Βουχανδὴς ὁ λέβης· ὁ δὲ θεὶς Ἐρασπίδα υἱός,*
*Κλεύβοτος· ἁ πάτρα δ' εὐρύχορος Τεγέα.*

sed omnino non indicat ibi poetria Tegeam etiam suam ipsius esse patriam.

Itaque semper redigimur ad unius Pollucis testimonium, quod auctoritate non carere videbitur, si credemus confirmari id loco Stephaneo; sin censebit quis iniuria Anytes nomen a Salmasio esse insertum apud illum scriptorem aut saltem minime constare illam coniecturam, non magni poterit ei videri momenti solius Pollucis notatio. Utcumque res se habet, aliquatenus utique incerta manebit quaestio de Anytes urbe natali.

Vix magis constare videtur poetriae aetas. Una tantum ad nos pervenit notitia, quae contineat indicium de temporibus. Continetur ea Tatiani orationis ad Graecos capite eo, de quo obiter iam dixi in praefatione. Circa a. 152

---

1) Orat. ad Gr. C. 33.
2) Stob. Florileg. Lib. VII. 13.

p. Chr. n. auctor hic ea oratione aggressus est mores depravatos aequalium suorum, Graecorum et Romanorum, et suscepit defensionem Christianae religionis, quam vetustissimam esse contendit ultimis orationis capitibus. Inter alias opiniones suas etiam hanc profert, nullam Graecis esse causam, cur rideant virgines et matronas Christianas philosophiae studentes, quum ipsi Graeci saepe multa didicerint a poetriis suis, quae eam adeo ob causam magna floruerint gloria ac quarum statuas elaborarint notissimi statuarii. Cap. 33 recenset seriem talium statuarum, dicens: *Πράξιλλαν μὲν γὰρ Λύσιππος ἐχαλκούργησεν, μηδὲν εἰποῦσαν διὰ τῶν ποιημάτων χρήσιμον, Λεαρχίδα δὲ Μενέστρατος, Σιλανίων δὲ Σαπφὼ τὴν ἑταίραν, Ἤριννναν τὴν Λεσβίαν Ναυκύδης, Βοΐσκος Μυρτίδα, Μυρὼ τὴν Βυζαντίαν Κηφισόδοτος, Γόμφος Πραξαγορίδα καὶ Ἀμφίστρατος Κλειτώ. Τί γάρ μοι περὶ Ἀνύτης λέγειν, Τελεσίλλης τε καὶ Μυστίδος; Τῆς μὲν γὰρ Εὐθυκράτης τε καὶ Κηφισόδοτος, τῆς δὲ Νικήρατος, τῆς δὲ Ἀριστόδοτός εἰσιν οἱ δημιουργοί· Μνησαρχίδος τῆς Ἐφεσίας Εὐθυκράτης, Κορίννης Σιλανίων, Θαλιαρχίδος τῆς Ἀργείας Εὐθυκράτης.* [1]) Deinde sequitur enumeratio statuarum mulieres miros partus enixas aut meretrices repraesentantium, quibus etiam sunt intermixtae effigies virorum pravitate infamium. Prior autem catalogus indicium quoddam continet ad statuendam Anytes aetatem, dummodo Tatiani auctoritate confidere liceat. Sed de fide huius scriptoris lis est inter viros doctos. Kalkmannus ea commentatione, quam laudavi in ann. 1. huius pag., variis argumentis ostendere studuit nihil pro certo effici posse ex iis, quae litteris man-

---

[1]) Dedi Ottonis textum, sicut legitur pag. 130. eius ed., nisi quod cum v. d. Kalkmann (qui egit de Tatiano Rh. Mus. XLII. pagg. 489—524) correxi Πραξιγορίδα in Πραξαγορίδα, Μνησιαρχίδος in Μνησαρχίδος, Θαλαρχίδος in Θαλιαρχίδος. De nominibus his cf. Kalkmannus l. l. pag. 522 infra. Non recepi lectionem Νοσσίδος pro Μυστίδος, quam duce v. cl. Brunn probavit Kalkmannus.

davit ille de statuis a sculptoribus Graecis factis. Tum demum, eo iudice, singulis rebus, quas tradit Tatianus, credere licet, si confirmentur ab auctoribus, quorum fides sit integra, aut si servatae nobis sint ipsae, quas memorat, statuae. Silentio praeterire possum, opinor, maiorem partem eius argumentationis, quae pertinet ad alterum catalogum, ut agam imprimis de argumentis, quibus impugnat priorem. Observat ex omnibus poetriarum statuis, quas laudat Tatianus, unam modo aliunde notam nobis esse, nempe Silanionis Sappho; huius enim fieri mentionem in Ciceronis L. IV actionis in Verrem II Cap. 57. § 126. Sunt autem ipsa Ciceronis verba haec: „Nam Sappho, quae sublata de prytanio est, dat tibi iustam excusationem, prope ut concedendum atque ignoscendum esse videatur. Silanionis opus tam perfectum, tam elegans, tam elaboratum quisquam non modo privatus, sed populus potius haberet, quam homo elegantissimus atque eruditissimus, Verres?" Dicit porro Kalkmannus artifices Graecos raro tantum repraesentasse videri mulieres, quas nobilitaverint sua carmina, id quod inde efficiendum esse arbitratur, quod ex quattuordecim illis feminis, quas memoret catalogus, praeter Sappho tres modo indicare possimus, de quarum simulacris nobis tradantur quaedam a scriptoribus antiquis. Sunt autem Telesilla, cuius novit statuam Pausanias,[1] Erinna, de qua facit mentionem Christodori Ecphrasis,[2] Corinna, cuius denuo Pausanias memorat imaginem pictam.[3]

Cum Tatiani statuarum catalogis comparari solet Plinianus locus hic: „Pompeius Magnus in ornamentis theatri mirabiles fama posuit effigies, ob id diligentius magnorum artificum ingeniis elaboratas, inter quas legitur Eutychis a viginti liberis rogo illata, Trallibus enixa triginta partus.

1) Cf. Paus. II. 20. 7.
2) Cf. Anth. Gr. II 108—110.
3) L. IX. 22. 3.

Alcippe elephantum, quamquam id inter ostenta est." [1]) Namque et mulier, quae peperit triginta liberos, et femina elephantum enixa recurrunt apud Tatianum in posteriore catalogo, hoc solo discrimine, quod ei mulieri, quam Alcippen appellat Plinius, Glaucippae nomen tribuit Tatianus, in cap. 33 dicens haec: *Τί γὰρ ὑμῖν ἡ Γλαυκίππη σεμνὸν εἰσηγήσατο παιδίον ἥτις τεράστιον ἐγέννησεν, καθὼς δείκνυσιν αὐτῆς ἡ εἰκών, Νικηράτου τοῦ Εὐκτήμονος Ἀθηναίου τὸ γένος χαλκεύσαντος; Εἰ γὰρ ἐκύησεν ἐλέφαντα, τί τὸ αἴτιον τοῦ δημοσίας ἀπολαῦσαι τιμῆς τὴν Γλαυκίππην;* Ad alteram autem mulierem pertinent sequentis capitis verba haec: *Τί μοι διὰ τὸν Περικλύμενον γύναιον, ὅπερ ἐκύησε τριάκοντα παῖδας, ὡς θαυμαστὸν ἡγεῖσθαι καὶ κατανοεῖν ποίημα; Πολλῆς γὰρ ἀκρασίας ἀπενεγκαμένη τὰ ἀκροθίνια βδελύττεσθαι καλὸν ἦν, τῇ κατὰ Ῥωμαίους συὶ παρεικαζομένῃ, ἥτις καὶ αὐτὴ διὰ τὸ ὅμοιον μυστικωτέρας, ὥς φασιν, ἠξίωται θεραπείας.*

Similitudo loci Pliniani cum iis, quae tradit Tatianus, neminem fugere potest. Quia autem Plinius dicit Eutychidis statuam, Tatiano quoque haud ignotam, fuisse unam ex iis, quae ornaverint Pompei theatrum, virum doctum Le Nourry primum subiit suspicio Tatianum aut omnes aut saltem plerasque, quas memoret in utroque catalogo statuas, Romae aspexisse in illo theatro. [2]) Quam coniecturam ut commendaret, confugit ad ipsius apologetae testimonium, qui initio cap. 35 testatur Romae aliquamdiu se esse moratum. Nourrio hac in re assensi sunt Bluemnerus [3]) et Loeschckius. [4]) Quorum virorum opiniones impugnat Kalkmannus pagg. 498—502 contendens diversa indicari statuarum genera a Plinio et a Tatiano; Plinii enim verba pertinere ad statuas, quas aequalibus sculptoribus faciendas

---

1) Nat. Hist. VII. 3. 34.
2) Cf. Kalkmanni ann. 6 ad pag. 498.
3) Cf. ibidem.
4) Cf. ibidem.

mandaverit Pompeius, ut dein eas collocaret in theatro, quum contra Tatianus memoriae prodat effigies, quas vulgo ab antiquioribus statuariis Graecis factas esse perhibeat. Plinii locum sic interpretatur Kalkmannus ut, postquam unam e Pompei theatro effigiem, eamque Eutychidis, memoraverit ille, deinde pergat recensere mirabiles partus, non iam cogitans de statuis tales partus illustrantibus. Eo iudice itidem Tatianus unam modo novit Pompei theatri effigiem, et quidem eandem quam Plinius, neque eo magis arbitratur necesse esse credamus ipsum Tatianum aspexisse Romae hanc statuam.

Neque vero cogitandum esse censet de statuis, quas unum eundemque in locum collatas aspexerit auctor Christianus; Tatianum enim sua partim finxisse, partim desumpsisse ab aliis scriptoribus.

Alio autem ac graviore argumento Kalkmannus debilitari putat fidem Tatiani, eo nempe, quod plerique ex statuariis memoratis vixerint multis annis post mulieres, quas repraesentasse dicantur. Fusius demonstrat artifices plerumque sculpsisse solorum aequalium simulacra, quum notissimas tantum personas vetustiorum temporum, veluti Homerum, Hesiodum, Aesopum, dignas iudicarent, quarum vultus non traditos fingerent. Tali honore Sappho dignatus est Silanion, uti vidimus, sed negat Tatiani vituperator reliquas poetrias tanta floruisse fama, ut simile quid de iis credere possimus. Ipse tamen concedit ultimum hoc argumentum non valere de Myrus et Erinnae statuis.[1])

Suspectam hoc quoque Kalkmanno reddit Tatiani orationem, quod quinque memorat poetrias, quarum ne nomina quidem aliunde sint nota, quod nusquam alibi nominentur

---

1) Cephisodotus enim, qui Myrus fecisse simulacrum fertur, huius mulieris aequalis fuit (cf. ann. 1. pag. 30); Naucydes vero Kalkmanno iudice Erinnae aetate antecessit longius quam ut eius statuam facere potuerit.

Clito, Praxagoris, Learchis, Mnesarchis, Thaliarchis,[1]) cum ab altera parte altum sit silentium apud hunc auctorem de nonnullis poetriis satis notis, quales fuerint Moschine et Hedyle. Hanc igitur proponit coniecturam Tatianum sumpsisse poetriarum nomina, quae continentur ep. Anth. Gr. IX. 26., iisque inseruisse quinque alia, quae ipse finxerit. Forte fortuna factum esse non putat, quod et Antipater Thessalonicensis, huius epigrammatis auctor, et Tatianus faciant initium a Praxillae nomine, neque magis quod apud utrumque Erinna sequatur statim post Sappho.

Aliquanto post digitum intendit in proprietatem, quam animadvertimus in multis scriptoribus eorum temporum, quibus vixit Tatianus, ut adament usurpare voces eosdem sonos continentes vel incipientes ab iisdem litteris. Mirum esse dicit quod tria ex poetriarum nominibus, soli Tatiano notis, desinant in terminationem -archis. Verba *Μνησαρχίδος τῆς Ἐφεσίας Εὐθυκράτης. . . . Θαλιαρχίδος τῆς Ἀργείας Εὐθυκράτης* composita esse ab auctore conicit propter similitudinem nonnullarum syllabarum atque accentuum. Eodemmodo explicat, quod sese excipiunt nomina Myrus et Myrtidis, quorum utrumque ab initio habet litteras *Μυρ-*. Nomen Aristodoti, quem sculptorem solus novit Tatianus, per analogiam factum esse putat ad Cephisodoti nomen. Eo usque procedit, ut vel eas res, quae primo obtutu Tatiani fidem probare videantur, sic explicare conetur, ut potius contra eum ferant testimonium. Cap. 35 disserit auctor Christianus se sua non didicisse ab aliis hominibus, sed in itineribus, quae susceperit, sibi contigisse, ut multa artis monumenta ipse aspiceret, seque etiam Romae moratum esse, quam in urbem translata e Graecia essent multa

---

[1]) Kalkmannus, duce Brunnio, satis violenter *Μυστίδος* mutans in *Νοσσίδος* perhibet quinque tantum poetrias memorari apud solum Tatianum; quibus sextam Mystidem illam adnumerandam censeo equidem.

Graecorum artificum opera. Fidem autem denegat huic loco Kalkmannus contendens[1]) identidem Tatiani aequales, sophistarum sapientia imbutos, similibus uti argumentis, ut commendent mendacia sua; Tatianum vero, cum componeret fictum illum catalogum, nihil aliud egisse nisi ut reprehenderet Graecorum pravitatem, quos non puderet in coelum efferre mulieres contemptu potius dignas propter carmina sua amatoria atque obscoena eumque, ut maiore infamia cumularet Graecos, non modo notissimas omnes poetrias lasciviae crimine arguisse, sed earum numero addidisse etiam fictas quasdam libidinosas poetrias.

Haec sunt fere, quae argumentatur Kalkmannus contra ea, quae de poetriarum statuis tradit Tatianus. Attamen non videtur persuasisse omnibus eis, penes quos solet esse iudicium in quaestionibus ad Graecorum artem pertinentibus. Si evolvimus v[i]. d[i]. Overbeck notissimum librum, qui est inscriptus: „Geschichte der griechischen Plastik", semel iterumque videmus eum, quum memoret poetriarum statuas, solius Tatiani niti testimonio.[2]) Videamus igitur possintne fortasse quaedam opponi Kalkmanni argumentis.

Triennio postquam scripserat ille commentationem suam, v. d. Winter in villa Albani, quae dicitur, animadvertens pulcherrimam mulieris imaginem e marmore factam, invenire sibi visus est Sapphus simulacrum.[3]) Et iure, ut

---

1) Pag. 518 sq.

2) I. pag. 532 memoratur Erinnae effigies a Naucyde facta, II[4] pag. 11. iuxta Sapphus statuam, quam esse elaboratam a Silanione confirmat Ciceronis testimonium, etiam Corinnae effigies, solo Tatiano auctore, tribuitur eidem statuario. II[4] pag. 112 Cephisodoti duae statuae Myro et Anyten repraesentantes memorantur. II[4] pagg. 145 et 153 Lysippo datur Praxillae effigies. II[4] pag. 171 Euthycrates dicitur elaborasse Anytes, Mnesarchidis, Thaliarchidis statuas.

3) Cf. Overbeck II[4] pag. 12 et S. Reinach Revue archéologique mars—avril 1898 pag. 161. Vid. imago 3. apud W. Christ. Gesch. d. gr. Litt. ed. 3.

videtur, nam habitu ac vultu revocat in memoriam Sapphus imaginem, qua sunt insigniti varii nummi urbium Mytilenes atque Eresi.[1])

Non solum autem evicit Winterus villae Albani imaginem repraesentare Lesbiacam poetriam, sed hoc etiam plerisque persuasit, ipsum Silanionem praebuisse exemplum ei sculptori, cui debemus illam imaginem, ut hodie non dubitare soleamus, quin teneamus imitationem Silanionis operis illius clarissimi, quod magnis laudibus effert Cicero. Accedit quod Reinachius a. 1898 loco eo, quem laudavi in ann. 3. pag. 21, ostendere est conatus etiam nobis superesse imitationem alterius Silanionis operis, quod memorat catalogus Tatiani. Est enim inter statuas antiquas, quae asservantur in curia urbis Compendii (Compiègne), parva effigies marmorea, in cuius basi insculptum legimus Corinnae nomen; poetria Tanagraea manibus tenet volumen atque adstat ei a parte sinistra humilis ara, quae fortasse obtinet locum scrinii alicuius, quo ornatum olim fuerat huius statuae exemplum ab ipso Silanione elaboratum.

Nam non dubitat vir doctus Francogallus, quin artifex ignotus, cui debemus Corinnae statuam illam, ipsum Silanionem sit imitatus, id quod efficit ex habitu vestis et ex ratione, qua compti sunt mulieris capilli. Maxime convenit hoc poetriae simulacrum cum signis Tanagraeis censetque

---

[1]) Mytilenaeos in nummis suis fingere solitos esse Sapphus imaginem testatur Pollux (IX. 84): *Μιτυληναῖοι μὲν Σαπφὼ τῷ νομίσματι ἐνεχαράξαντο.* De nummis Lesbiacis Sapphus imagine instructis cf. Warwick Wroth. Catalogue of the Greek coins of Troas, Aeolis and Lesbos (qui liber est pars amplioris operis: A catalogue of the Greek coins in the British Museum) Introduction pagg. 68—71 et pag. 79. Ibidem tab. XXXIX s. num. 10 repraesentatus est nummus, cuius pars adversa continet poetriae imaginem atque nomen (ΨΑΠΦΩ); cf. etiam s. numm. 6 et 8 duo alii nummi, in quorum partibus aversis Sappho sedens cantat lyra. Qui nummi omnes aetatis sunt imperatoriae, ante quam non censet libri auctor occurrere Sapphus figuram in Lesbiacis nummis.

Reinachius non Praxitelem, ut nonnumquam creditum est, sed Silanionem praebuisse exemplum coroplastis Boeotiis. Praeterea observat aliquam similitudinem sibi exstare videri inter hanc statuam atque eam Sapphus imaginem, cuius exemplum Silanioni tribuit Winterus, praesertim quod attinet ad oculorum formam.

Hisce aliquatenus everti videntur argumenta a Kalkmanno contra Tatiani fidem allata. Iam non causa est cur credamus Tatianum de se finxisse, quae de Corinnae statua dicat, licet reliqui scriptores antiqui ea de re nil tradant; contra verisimile est servatas nobis esse imitationes utriusque statuae Silanioni vindicatae in priore catalogo. Exemplum simulacri, de quo agit Reinachius, pertinere videtur ad artem medii saeculi quarti a. Chr. n.; quum autem floruerit poetria Tanagraea circa a. 500, sequitur statuam illam multo post eius mortem esse factam. Itaque Sappho non sola fuit poetria, quam, diu post eius obitum, dignam iudicavit Silanion, cuius sculperet statuam; pari enim honore affecit Corinnam.

At nunc ne mihi obiciat quis Silanioni vix ullam effigiem Tanagraeae poetriae tribui posse, propterea quod sculptoris aetate iam dudum obliterati fuisse videantur huius mulieris vultus. Hoc enim nullum esse argumentum dico. Nam quidni credamus in poetriarum signis elaborandis idem saepe fecisse statuarios Graecos, quod nemo neget facere eos solitos fuisse, cum cuperent repraesentare Homerum, Hesiodum, alios illustres viros antiquos; quorum cum vultus omnino incogniti essent, ingenio proprio usi ipsi artifices excogitare libereque effingere eos numquam dubitabant. Profecto nullam video causam, cur non suo arbitrio effingere potuerit Silanion Corinnae vultus ac speciem, immo verisimile mihi videtur ita eum egisse. Nullum enim certum et genuinum simulacrum huius mulieris tulisse aetatem efficias etiam ex Pausaniae verbis, qui auctor

memorans pictam eius imaginem, in gymnasio Tanagraeo obviam, prudenter dicit: *ἦν γυναικῶν τότε δὴ καλλίστη τὸ εἶδος, εἴ τι τῇ εἰκόνι δεῖ τεκμαίρεσθαι.* [1])

Nihil ergo obstat, quominus cum Overbeckio [2]) credamus recte se habere posse Tatiani notitias de poetriarum statuis illis, quas dederit sculptoribus multo recentioribus quam essent ipsae mulieres. Quia autem Graeci statuarii identidem elaborabant simulacra, sive vera, sive ficta, cuiusvis viri egregii, cuiuscumque mulieris clarae, mihi persuasi Tatiano nullo mendacio opus fuisse in recensendis poetriarum statuis, quod satis magna earum adesset copia. Neque mirandum videtur, quod et Antipater Thessalonicensis et Tatianus inciderint plerumque in nomina earundem poetriarum; nam eae adeo erant clarissimae atque omnium notissimae, uti in praefatione ostendere studui. Inde etiam quod uterque scriptor faciat initium a nomine Praxillae, nego esse efficiendum hausisse Tatianum ex Antipatri epigrammate. Namque Eustathius quoque l.l. ante alias omnes memorat Praxillam et tamen perspicuum est ignotum huic fuisse illud epigramma; ceteroquin enim non supersedisset memorare Anyten, Telesillam, Nossidem neque tam obscure dixisset de Myrtide. Si autem forte fortuna ab initio legitur Praxillae nomen et apud Antipatrum et apud Eustathium, quidni mero quoque casu eadem res facta esse potuit in Tatiano atque Antipatro? Nec multum proficimus Kalkmanni observatione de sonorum ac syllabarum similitudine; suspicari enim licet eum, si solus Tatianus servasset memoriam Silanionis Sapphus, dicturum fuisse ex litteris initialibus horum nominum sequi totam hanc notitiam falsam fictamque esse. Memorabile sane est apud Tatianum occurrere tria nomina desinentia in -archis, attamen non obliviscendum est inter eas poetrias, quas revera exstitisse nemo

---

1) IX. 22. 3.

2) Cf. quae disputat de Praxillae simulacro. II[4] pagg. 145 et 153.

negabit, itidem tres esse, quarum nomina eandem habeant terminationem, Telesillam, Praxillam, Balbillam dico. Vix necesse est addam magnopere etiam inter se convenire Corinnae et Erinnae nomina. Infitias ire nolim Tatianum interdum dedita opera arcte coniunxisse ea vocabula, quae simile quid haberent, sed ostendunt formae *Μυρτίδα* et *Μυρώ*, sese excipientes, fictis nominibus ei opus non fuisse ut talia faceret. Nihil nisi vera nomina tradens perbene tamen euphoniae legibus parere potuit.

Graviter ergo labefactatam esse Kalkmanni argumentis auctoritatem Tatiani minime concedo. Accedunt autem quae ad defendendam eius fidem nonnihil valere mihi videntur. Tatiani aequales atque scriptores eo recentiores commenticia artis monumenta libenter tribuunt notissimis et clarissimis sculptoribus, quales fuerunt Phidias vel Praxiteles. At in priore Tatiani catalogo ne semel quidem memoratur Phidias; Praxitelis quoque nomen frustra ibi quaeras. Hoc praesertim discrimen exstat inter Christiani apologetae nostri notitias atque aliorum aliquot scriptorum locos illos, quos cum Tatiano comparat ipse Kalkmannus, falso contendens huius auctoritatem non pluris esse ducendam quam illorum mendacia. Quos locos nunc percensebo eodem servato ordine, ita ut initium mihi sit faciendum a loco Nicetae Eugeniani,[1]) qui auctor in primo libro *τῶν κατὰ Δρόσιλλαν καὶ Χαρικλέα*, describens pulcherrimum pratum, vs. 100 sqq. cantat:

*Λευκῶν δὲ πετρῶν τῆς καλῆς πηγῆς μέσον*
*ἀγαλμάτων ἕστηκεν εὐξέστων κύκλος·*
*οἱ δ' ἀνδριάντες ἦσαν ἔργα Φειδίου*
*καὶ Ζεύξιδος πόνημα καὶ Πραξιτέλους*
*ἀνδρῶν ἀρίστων εἰς ἀγαλματουργίαν.*

Non solum abutitur Nicetas Phidiae et Praxitelis nomini-

---

[1]) Cf. Kalkmann pag. 521.

bus, verum quam absurde etiam inter sculptores memorat Zeuxin, nobilissimum pictorem! Talia autem vitia manifesta nulla usquam committit Tatianus.

Paulo post [1]) transit Kalkmannus ad Athenagorae, Tatiani aequalis, caput XVII Legationis pro Christianis. Etenim hoc loco, qui scatet manifestis erroribus, ille auctor contendit, ut deorum nomina atque genera apud Graecos sint inventa a tribus tantum viris, Orpheo, Homero, Hesiodo, ita omnia Graecarum artium monumenta esse referenda ad paucos artifices. Postquam quaedam est praefatus de pictoria et coroplastice artibus, sic pergit de statuaria: *Τούτοις δὲ ἐπιγενόμενοι Δαίδαλος καὶ Θεόδωρος ὁ Μιλήσιος ἀνδριαντοποιητικὴν καὶ πλαστικὴν προσεξεῦρον. Ὁ μὲν δὴ χρόνος ὀλίγος τοσοῦτος ταῖς εἰκόσι καὶ τῇ περὶ τὰ εἴδωλα πραγματείᾳ, ὡς ἔχειν εἰπεῖν τὸν ἑκάστου τεχνίτην θεοῦ. Τὸ μὲν γὰρ ἐν Ἐφέσῳ τῆς Ἀρτέμιδος καὶ τὸ τῆς Ἀθηνᾶς. . . . καὶ τὴν καθημένην Ἔνδοιος εἰργάσατο μαθητὴς Δαιδάλου, ὁ δὲ Πύθιος ἔργον Θεοδώρου καὶ Τηλεκλέους, καὶ ὁ Δήλιος καὶ ἡ Ἄρτεμις Τεκταίου καὶ Ἀγγελίωνος τέχνη, ἡ δὲ ἐν Σάμῳ Ἥρα καὶ ἐν Ἄργει Σμίλιδος χεῖρες, καὶ Φειδίου τὰ λοιπὰ εἴδωλα, ἡ Ἀφροδίτη ἐν Κνίδῳ ἑταίρα Πραξιτέλους τέχνη, ὁ ἐν Ἐπιδαύρῳ Ἀσκληπιὸς ἔργον Φειδίου.* Itaque praeter cetera quae committit vitia, Athenagoras adscribit Phidiae tam signa deorum omnia, quorum ignorat artifices, quam Aesculapii Epidaurii. Attamen constat hoc signum esse vindicandum Thrasymedi, id quod testatur Pausanias II. 27. 2.: *μηνύει δὲ ἐπίγραμμα τὸν εἰργασμένον εἶναι Θρασυμήδην Ἀριγνώτου Πάριον,* cuius testimonium confirmatur magna Asclepiei Epidaurii inscriptione, in qua Thrasymedes quis dicitur elaborasse templi tectum et portam principalem e ligno, ebore, auro factam; procul dubio enim Thrasymedes hic idem fuit artifex, quem fecisse Aesculapii signum chryselephantinum tradit Pausanias. [2])

[1]) pag. 522.

[2]) Cf. Overbeck II[4] pag. 125 sq.

Summa igitur iniuria inscitiae talium auctorum, quales sunt Nicetas et Athenagoras, parem fuisse Tatiani ignorantiam arguit Kalkmannus. Illorum enim mendacia nemo non deprehendat, Tatianum autem imposuisse lectoribus ne nunc quidem Kalkmanno omnes concedunt.

Restat ut dicamus de locis quibusdam ex Clementis Romani operibus suppositiciis. In Recognitionibus (a Rufino Torano e Graeco sermone in Latinum versis) VII. 12 de Phidiae operibus, quae sint in insula Arado, legimus haec: „Post haec dicta unus ex adstantibus Petrum rogare coepit ut die crastina maturius ad insulam.... Aradum.... pergeremus, videndi in ea gratia mirum aliquod opus, columnas vitreas magnitudinis immensae: cui Petrus.... acquiescit;.... Cum ergo die postera.... venissemus ad insulam continuo ad locum, in quo erant columnae mirabiles, properamus. Erant autem in aede quadam positae, in qua Phidiae opera permagnifica habebantur; quibus intento unusquisque nostrum detinebatur aspectu." Recurrit eadem narratio in Homilia XII. 12 atque etiam in Clementina Epitome de gestis S. Petri Cap. 80, quibus locis Graeco sermone iisdem fere verbis conscripta legitur.[1])

Fieri potest ut, quae de Phidiae operibus in remota quadam insula obviis tradit pseudo-Clemens, ipse non sit commentus, quod revera Aradi, ubi non mediocriter floruisse videntur Graecae artes, adessent quaedam monumenta, quae hominum sermonibus tribuerentur sculptorum principi. Certe Ernestus Renan, qui aetate imperatoris Napoleontis III in Phoenice indagavit antiquae artis reliquias, de illa insula scripsit haec: „Ces restes attestent que l'art grec prit à Aradus des développements plus délicats que sur aucun autre point de la Phénicie. Les textes nous l'apprenaient du reste. La légende de saint Pierre le fait s'arrêter à

1) Usa sum ed. Antverp., quae prod. a. 1698. Cf. Kalkm. pag. 523.

Aradus pour admirer des colonnes extraordinaires et des peintures (sic) de Phidias." [1])

Ceterum ut ponamus rumoribus quibusdam niti pseudo-Clementis notitias, tamen vix quemquam eo maiorem fidem iis habiturum esse puto. Phidiae enim nomen nonnisi per errorem occurrere in eiusmodi fabulis unicuique appareat necesse est.

Iniuria igitur mihi videtur id egisse Kalkmannus, ut ex locis laudatis, qui pullulant vitiis ac erroribus, demonstraret Tatiani etiam catalogos refertos esse falsis notationibus; discrimen enim maximum, quod exstat inter Tatiani nudam statuarum enumerationem atque Athenagorae, pseudo-Clementis, Nicetae Eugeniani vitiosas notitias tantum non incurrit in oculos.

Porro alicuius momenti esse videtur quod nonnumquam nominibus propriis addidit Tatianus nomina gentilia; certiores nos facit de Mnesarchidis et Thaliarchidis patriis, quas, opinor, non adscripsisset, si omnino non exstitissent poetriae illae, quia tunc tutius videri poterat nihil ea de re definire.

Quomodo atque ubi ad notitiam omnium illarum statuarum pervenerit Tatianus, videritne eas Romae an in itineribus suis, difficile dictu erit. Sed ut talia ignoremus, tamen (quod Kalkmanni pace dixerim) dubitandum non esse videtur, quin verum tradiderit de poetriarum statuis.

Puto igitur ceteris Euthycratis et Cephisodoti operibus Anytes quoque statuam auctore Tatiano adnumerandam esse. Duae nunc oriuntur quaestiones. Sunt verba Tatiani: „*Τί γάρ μοι περὶ 'Ανύτης λέγειν, Τελεσίλλης τε καὶ Μυστίδος; Τῆς μὲν γὰρ Εὐθυκράτης τε καὶ Κηφισόδοτος, τῆς δὲ Νικήρατος, τῆς δὲ 'Αριστόδοτός εἰσιν οἱ δημιουργοί.*" Putemusne igitur Euthycratem atque Cephisodotum contulisse operam in

[1]) Cf. Ernest Renan. Mission de Phénicie. Campagne d'Aradus pag. 29.

unam eandemque effigiem an potius cogitandum erit de duabus statuis, alia alii sculptori tribuenda? Fueruntne duo illi artifices Anytes aequales, ut ipsos poetriae vultus ante oculos habuerint, an floruerunt post eius demum mortem, ita ut in ea repraesentanda secuti sint exemplum Silanionis et Lysippi, qui pariter elaboraverant statuas poetriarum, quae diu ante ipsos vixerant? Non crediderim Tatianum unam tantum indicare Anytes statuam; Euthycrates enim et Cephisodotus, quorum hic erat filius Praxitelis, Lysippi filius ille, varias attinebant ad artificum scholas neque umquam memoratur commune eorum opus. Assentior igitur Overbeckio, qui unam Anytes effigiem tribuit Cephisodoto, [1]) alteram Euthycrati; [2]) credit ille statuam, quam fecerit Cephisodotus, fuisse marmoream similiter atque Myrus Byzantiae simulacrum, ab eodem artifice elaboratum. Probabile autem mihi videtur alterum Anytes simulacrum ex aere fusum fuisse; scimus enim Lysippum semper hac usum esse materie, qua in re secutus eum fuerit Euthycrates. Nusquam, quod quidem ego sciam, fit mentio marmorei ullius operis ab Euthycrate facti, sed contra Plinius [3]) hunc artificem memorat inter eos statuarios, qui aeneis simulacris et signis sunt nobilitati atque Tatianus in secundo catalogo referens Pannychidis statuam, quam huic quoque artifici vindicat, diserte dicit: *Παννυχίδα. .. Εὐθυκράτης ἐχαλκούργησεν.*

Restat ut respondere conemur alteri quaestioni supra positae. Ut constituant *τὴν ἀκμήν* horum duorum artificum, viri docti laudare solent priorem ex locis Plinianis, qui agunt de Euthycrate. Dicit ibi auctor ille Olympiade centesima vicesima prima (296 – 292 a. C. n.) floruisse hos statuarios: Eutychidem, Euthycratem, Daippum, Cephisodotum,

---

1) II⁴ pag. 112.
2) II⁴ pag. 171.
3) Nat. Hist. XXXIV §§ 51 et 66.

Timarchum, Pyromachum. Sed multis verbis opus non erit, ut ostendam vix credibile esse sex artifices illos omnes floruisse unam eandemque intra Olympiadem. Neque sic explicandus videtur is locus. Cum percenset Plinius complures statuarios, apposita certa Olympiade, indicare vult eum, quem primum ponit, floruisse eo tempore reliquosque illos fuisse eius aequales vel aemulos. Luculenter id apparet ex iis, quae tradit de Phidia. Nam postquam dixit floruisse eum Olympiade 83 (i.e. eo circiter tempore, quo Parthenon aedificari coeptus est) adicit haec: „quo eodem tempore aemuli eius fuere Alcamenes, Critias, Nesiotes, Hegias." Itaque locus, de quo nunc ago, imprimis fert testimonium de Eutychide, qui fuit Lysippi discipulus, sed minime ex eo sequitur Anytes statuas ab Euthycrate et Cephisodoto esse factas intra ipsos annos 296—292. Etiam paulo ante vel paulo post Olympiadem illam ponere ea simulacra nobis licet, prout id postulant alia de poetriae nostrae aetate indicia; quae non prorsus deesse existimo.

Nempe bene factum, quod ex Tatiano novimus Cephisodotum Myrus Byzantiae (quae poetria eius erat aequalis)[1]) sculpsisse statuam. Nunc si mihi contigerit demonstrare Anyten usam esse Myrus amicitia atque consuetudine, iam satis constabit Cephisodotum vivae Anytes expressisse vultus.

Sed antequam exponam, quae res me ducant ut credam amicitia iunctas fuisse Anyten et Myro, hoc loco libet inserere quaedam de iusta forma nominis proprii, quod fuit alteri harum mulierum. Namque de nomine Byzantiae poetriae non congruunt testimonia codicum, qui nunc eam appellant *Μοιρώ*, nunc *Μυρώ*, nec magis ea de re hodie consentiunt viri docti. Reitzensteinius[2]) usurpat solam formam Moiro, quasi constet hanc esse veram ac

---

[1]) Vid. Suid. s. v. *Ὅμηρος*: *Ὅμηρος Ἀνδρομάχου καὶ Μυροῦς Βυζαντίας. . . . ἤκμαζεν ὀλυμπιάδι ρκδ'.*

[2]) **Epigramm und Skolion pag. 135 ann. 1.**

genuinam, Susemihlius [1]) et Christius [2]) ambas memorant formas, unde efficere velim incertos eos haesisse in scriptura huius nominis. Primum nunc recensebo, quibus locis apud quosnam scriptores legatur utraque forma, deinde ostendam, utra potior mihi videatur. Quinquies Μοιρώ forma recurrit in Anth. Gr., scilicet his locis:

II. 410. Μοιρὼ κυδαλίμη Βυζαντιάς, ἣν ἔτι παιδνήν.
IV. 1. 5. πολλὰ μὲν ἐμπλέξας Ἀνύτης κρίνα, πολλὰ δὲ Μοιροῦς.
IX. 26. 3. Πρήξιλλαν, Μοιρώ, Ἀνύτης στόμα, θῆλυν Ὅμηρον

in titulo ep. VI. 119: Μοιροῦς Βυζαντίας atque in simili lemmate, quo est instructum ep. VI. 189. Postremo tamen loco non sola adstat forma per οι, nam in codice Palatino vocem μοιροῦς, quam scripserat scriba A., erasit Corrector ut reponeret scripturam μυροῦς atque Planudes quoque hoc loco praebet formam per υ. Semel praeterea memoratur Byzantia poetria in codice Palatino, in scholio altero a Lemmatista prooemio coronae Meleagreae adiecto, ubi appellatur μυρώ. Sed etiam extra Anthologiam vacillat poetriae nominis scriptura. Etenim in Parthenii Eroticis Cap. 27 περὶ Ἀλκινόης subiuncta sunt verba: ἱστορεῖ Μοιρὼ ἐν ταῖς Ἀραῖς atque etiam apud Athenaeum bis [3]) recurrit eadem forma Μοιρώ, verum ab altera parte exhibent scripturam Μυρώ Tatianus l. l. Pausanias IX. 5. 8. Suidas, qui ter facit mentionem huius mulieris, sub vv. Μυρώ, Ὅμηρος, Σωσίθεος ac postremo Eustathius ad Il. B. 711. Subducta ratione apparet septem locis legi Μοιρώ, totidem locos exhibere alteram formam atque uno loco occurrere utramque scripturam.

Vix credibile est duplex fuisse nomen nostrae poetriae, ita ut nunc sit appellata Μοιρώ, nunc Μυρώ. Sicubi enim adsunt Graecorum nominum duplices formae, brevior ac

1) Gesch. d. gr. Litt. i. d. Alexandrinerzeit I. pagg. 271 et 381.
2) Gesch. d. gr. Litt. ed. 3. pag. 512.
3) L. XI. pagg. 490 e et 491 a.

familiarior per compendium solet esse deducta a longiore altera forma; hoc autem in nomine nihil nisi vocalis vel diphthongi esset mutatio, quam aliis exemplis confirmari posse non credo. At vero si ponimus unam tantum formam recte se habere, facillime explicatur, ut sit orta altera forma vitiosa. Etenim sexcenties in codicibus confunduntur diphthongus οι et vocalis υ ea de causa, quod vulgaris ac barbara pronuntiatio sono eas non discernebat. Hac confusione sensus aliquot locorum obscuratus est, quorum nonnullis quasi nova affulsit lux, simulac pro οι substituit quis υ aut rursus pro vocali reposuit diphthongum. Notissima est ea emendatio, quam Hermannus proposuit in Aristophanis Nubium v. 179 pro lectione θοἰμάτιον, quae vocabula non quadrabant in contextum, suadens θυἰμάτιον. At Hermanno eo loco contextus viam poterat monstrare ad veram lectionem constituendam; quotiens autem haeremus in nominum propriorum iusta scriptura, contextus quidem subsidium nos deficit, sed altera tamen patet via, qua ducamur ad verum. Saepe enim veras formas servaverunt inscriptiones, quarum freti auctoritate codicum menda corrigere possumus. Gaudeo quod id quoque nomen, de quo nunc ago, non deest in inscriptionibus. Magni imprimis momenti hunc ad finem videntur esse duo tituli sepulcrales, quorum alter,[1]) qui saeculi est quarti, trium civium Atheniensium praebet nomina haec:

*Α[Ρ]ΧΙΠΠΟΣ ΔΙΟΦΑΝΗΣ ΜΥ[Ρ]Ω*
*ΜΕΛΙΤΕΣ*

alter[2]) praeter integram vocem *Μυρῷ* nihil hodie exhibet nisi σ, cui subscriptum est β, quarum litterarum sensus nos fugit. Tertia praeterea est memoranda inscriptio eaque satis antiqua; nam in antiquitatum museo Leidensi asser-

---

1) C. I. A. II. 2332.
2) C. I. A. II. 3996.

vatur vasculum quoddam [1]) nympharum ac silenorum figuris ornatum, in quo uni ex nymphis appictum est nomen *Μ Υ Ρ Ο.* Ab altera parte inscriptiones, quibus contineri nomina *Μοίριχος, Μοιροκλῆς, Μοιροφάνης* atque haud raro praesertim *Μοιραγένης* docent indices nominum virorum et feminarum in partibus II et III Corporis Inscr. Att., nusquam exhibent formam *Μοιρώ.*

Itaque ex diversae aetatis inscriptionibus supra laudatis apparet *Μυρώ,* quae est forma feminina notissimi virorum nominis *Μύρων,* fuisse vulgare mulieris nomen apud Graecos; quod servarunt etiam Anthologiae versus hi:

VII. 190. 2. *τέττιγι ξυνὸν τύμβον ἔτευξε Μυρώ,*
VII. 364. 1. *'Ακρίδι καὶ τέττιγι Μυρὼ τόδε θήκατο σῆμα*
VII. 425. 1. *Μὴ θάμβει μάστιγα Μυροῦς ἐπὶ σάματι λεύσσων,*

Postremi epigrammatis lemma, a Lemmatista additum, iterat nomen proprium, nam incipit a verbis: *εἰς μυρώ.* Plutarchus quoque in Moralibus [2]) semel tradidit eandem vocem. Enarrans historiam Aristotimi, qui sub regno Antigoni Gonatae [3]) Eleorum occupavit tyrannidem, sub finem memorat duas eius filias, quo loco haec etiam dicit: *ἡ πρεσβυτέρα Μυρώ, λύσασα τὴν ζώνην* e. q. s. Aristotimi filia aequalis fuit Byzantiae poetriae. Itaque cum quarti saeculi inscriptio supra memorata, tum vero etiam Plutarchi hic locus ostendere mihi videntur ea ipsa aetate, qua vixit poetria nostra, Myro nomen cognitum fuisse in Graecia. Postremo praetermittere nolim quod Suidas iuxta Byzantiam poetriam alteram quoque memorat Myro, quam in insula Rhodo studuisse philosophiae tradit. Ex omnibus

---

[1]) Imago huius vasculi expressa est apud J. Roulez. Choix de vases peints du musée d'antiquités de Leide. Tab. V. Inscriptio legitur C. I. G. 7459.

[2]) De mulier. virt. XV.

[3]) Paus. V. 5. 1. VI. 14. 5. Cf. J. G. Droysen. Geschichte des Hellenismus ed. 2. III. 1. pag. 225.

his sequitur formam per ν haud raro inveniri et in inscriptionibus et in aliquot scriptorum codicibus, sed *Μοιρώ* formam esse alienam ab inscriptionibus neque occurrere in manuscriptis nisi interdum ad designandam Byzantiam poetriam. In Anthologiae codice Palatino omnes loci, qui exhibent hanc formam, profecti sunt ab uno eodemque librario, scilicet ab eo, quem littera A indicare solemus. Planudis autographon semel tantum (Christodori Ecphr. 410) habet *μοιρώ*, quo loco tamen in Planudeis edd. legitur *Μυρώ*, idemque Planudes, uti supra vidimus, in titulo ep. VI. 189 praebet scripturam per *υ*. Nititur igitur *Μοιρώ* forma fere librarii A auctoritate atque Parthenii et Athenaei codicum, quae tamen minoris est ducenda, opinor, quam multifaria de poetriae nomine testimonia Lemmatistae, Correctoris, Planudis ac codicum Tatiani, Pausaniae, Suidae, Eustathii, quae testimonia confirmantur cum iis scriptorum locis, ubi aliae eiusdem nominis memorantur mulieres, tum vero etiam inscriptionibus. Hinc *Μυρώ* formam, quae sola recte se habere mihi videtur, ubique reponere velim. Cohaeret illa, pariter ac masculinum nomen *Μύρων*[1]), cum substantivo *μύρον*[2]), quod et ipsum ad personas designandas usurpari solere in blanditiis docent ep. Anth. Gr. V. 89:

*Πέμπω σοι μύρον ἡδύ, μύρῳ τὸ μύρον θεραπεύων,*
*ὡς Βρομίῳ σπένδων νᾶμα τὸ τοῦ Βρομίου.*

atque epigrammatis V. 112. vs. 3 sq.:

---

1) Ut a masculina forma Μύρων derivatum est nomen Μυρωνίδης, ita iuxta Μυρώ exstitit Μυρωνίς, quod nomen praebet C. I. G. 6263. Kaibel Epigr. gr. ex lapidibus coll. n. 721. Fortasse etiam cum his cohaeret Locrensis mulieris nomen Μυρῶτα, quod legitur C. I. A. II. 3142.

2) A voce *μύρον* Bechtelius in libro „Die Attischen Frauennamen nach ihrem Systeme dargestellt" pag. 119 derivat nomina Μυρώ, Μυραλλίς (B. C. H. XVI 153), Μύρων, Μυρωνίδης, Μύρις.

ἡ δὲ πάρος σε καλεῦσα μύρον καὶ τερπνὸν Ἄδωνιν
Μηνοφίλα νῦν σου τοὔνομα πυνθάνεται.

Quominus autem ubique pro Μοιρώ restituamus Μυρώ haec sola res obstare videtur, quod in Anth. vv. II. 410. IV. 1. 5. IX. 26. 3. metri causa in priore syllaba requiritur longa vocalis vel diphthongus. Nec tamen deterreor, quin his quoque locis reponam Μυρώ formam, producta vocali υ; poetae enim recentes, quibus debemus hos versus, Christodorus, Meleager Gadarenus, Antipater Thessalonicensis, obliti verae nominis derivationis videntur produxisse priorem syllabam, sive quod crederent cohaerere hanc vocem cum verbo μύρομαι, sive quum vocabuli forma iambica minus facile adaptari posset ad metrum heroïcum. Novimus enim poetas Graecos saepe libere versatos esse in quantitate nominum propriorum, ut metro satisfacerent, qua in re exemplo mihi erunt nomina Ἄρης atque Ἀφροδίτη, quorum alias producunt, alias corripiunt primam syllabam. Has propter causas et in sequentibus, quotienscumque mentio mihi erit facienda poetriae Byzantiae, Myro appellare eam in animo mihi est, et in praecedentibus iam semel iterumque hoc nomine eam designavi, interdum etiam contra codicum lectionem; qua via me praeiit Vavassor, qui suasit ut in Meleagri prooemio restitueremus hanc formam, usurpatam etiam a Lemmatista in scholio, quo id instruxit.

Sed redeamus ad propositum ac videamus adsintne indicia, e quibus efficere liceat fuisse aliquam consuetudinem atque amicitiam inter Anyten et Myro. Inter legendum animadverti apud scriptores Graecos plus semel arcte coniungi harum mulierum nomina. Meleager Gadarenus in prooemio recensens poetas, quorum recepit carmina in coronam suam, initium facit ab Anyte, cuius nomini statim adiungit Myro et quidem ea ratione, ut paene iisdem verbis de utraque poetria faciat mentionem, dicens:

*πολλὰ μὲν ἐμπλέξας Ἀνύτης κρίνα, πολλὰ δὲ Μυροῦς*
*λείρια, καὶ Σαπφοῦς βαιὰ μέν, ἀλλὰ ῥόδα.*

Quia *κρίνου* et *λειρίου* vocibus designatur idem florum genus, affirmare licet hic a Meleagro quasi in unum coniungi Anytes ac Myrus carmina, quorum dulcis oratio suaviter fluens albi lilii suscitat imaginem; apte duarum illarum mulierum poesin opposuit Lesbiacae poetriae ardentibus carminibus, quae rosarum instar splendent. Cum eo autem loco, ubi simul memorantur Anyte et Myro, comparare quis possit eiusdem prooemii versus hos: [1])

*ἐν δὲ Ποσείδιππόν τε καὶ Ἡδύλον ἄγρι' ἀρούρης,*
*Σικελίδεώ τ' ἀνέμοις ἄνθεα φυόμενα.*

Reitzensteinius [2]) primus, quod sciam, digitum intendit in eam rem, quod hoc loco Meleager cum uno eodemque florum genere comparat Posidippi, Hedyli, Asclepiadis carmina, quum vulgo singulos recenset poetas nihil definiens de ratione, quae inter eos intercesserit. Idem tamen minus recte contendit nusquam alibi a Meleagro simul memorari plures poetas. Nam haud minus arcte Anytes atque Myrus nomina coniunxit Meleager. Quod non solum ex florum similitudine, quibus comparavit poetrias, perspicuum est, sed ex verborum quóque structura. Adhibet enim in memorandis mulieribus voculas *μέν* et *δέ*, ut vinculo arctissimo eas coniungat, quod idem facit primis versibus, cum simul sui atque Dioclis, amici, mentionem faciens ita dicit:

*ἄνυσε μὲν Μελέαγρος· ἀριζάλῳ δὲ Διοκλεῖ*
*μναμόσυνον ταύταν ἐξεπόνησε χάριν.*

Nusquam autem alibi in prooemio usus est his voculis ad designandos binos poetas. Has propter causas conicere velim Meleagrum dedita opera simili modo dixisse de utraque muliere, quod novisset aequales eas fuisse, quae pari

---

1) Anth. Gr. IV. 1. 45 sq.
2) Epigramm und Skolion pag. 100 sq.

inclaruissent epigrammatum genere. Confirmatur haec suspicio Antipatri Thessalonicensis epigrammate de novem poetriis, ubi denuo sese excipiunt Myrus atque Anytes nomina.

Aequales fuisse poetrias nostras ex hisce omnibus efficio. Sed ut eas amicitia coniunctas fuisse credam, alia me movent. Primum nunc nobis revocemus in memoriam secundum Tatianum ambarum mulierum simulacra esse facta eodem a sculptore. Addi etiam potest Tatianum non plures hisce duabus poetriarum statuas vindicare Cephisodoto; quo fit ut cogitare possimus de statuis simul factis eum ad finem, ut sese respicerent altera exadversum alteram posita. Praeterea in secundo [1]) duorum Myrus epigrammatum, quae tulerunt aetatem, fluminis cuiusdam nymphae rogantur, ut servent Cleonymum quendam. Quod epigramma in codd. sic audit:

*Νύμφαι ἁμαδρυάδες, ποταμοῦ κόραι, αἳ τάδε βένθη*
*ἀμβρόσιαι ῥοδέοις στείβετε ποσσὶν ἀεί,*
*χαίρετε καὶ σῴζοιτε Κλεώνυμον, ὃς τάδε καλὰ*
*εἵσαθ' ὑπαὶ πιτύων ὔμμι, θεαί, ξόανα.*

Sed in primo versu adiectivum *ἁμαδρυάδες* non quadrare in contextum cuivis, credo, perspicuum est, quam ob causam iure reposuit Ungerus: *'Ανιγριάδες*. Est Pausanias qui litteris mandavit prope Anigrum flumen inveniri speluncam his nymphis sacram, quo se conferre solerent ii, qui cutis morbo laborarent, ut ibi nymphis vota conciperent utque deinde, spelunca egressi, tranarent flumen atque sanati exirent. [2]) Quia Anigri illius fontes sunt in Arcadico monte Lapitho, duce Reitzensteinio suspicari possumus epigramma illud ipsa in Arcadia esse factum [3]) poetriamque

---

[1]) Anth. Gr. VI. 189.
[2]) Paus. V. 5. §§ 5-6.
[3]) Epigr u. Skol. pag. 135 infra.

Byzantiam aliquamdiu esse moratam in Peloponneso, quo tempore Anyte quoque componendis carminibus daret operam. Eo modo facile explicatur similitudo manifesta, quae exstat inter utriusque mulieris carminum reliquias.

Postremo agendum erit de epigrammate VII. 190, quod est huiusmodi:

> *Ἀκρίδι, τᾷ κατ' ἄρουραν ἀηδόνι, καὶ δρυοκοίτᾳ*
> *τέττιγι ξυνὸν τύμβον ἔτευξε Μυρώ,*
> *παρθένιον στάξασα κόρα δάκρυ· δισσὰ γὰρ αὐτᾶς*
> *παίγνι' ὁ δυσπειθὴς ᾤχετ' ἔχων Ἀίδας.*

Pro certo non constat cui poetae id debeamus, quum in lemmate memorentur et Anyte et Leonidas, quam ob causam de auctore lis est inter viros doctos. Stadtmuellerus in Anth. ed. ad hoc poema annotat a Tarentino poeta certe alienum id esse, sed fortasse tribui id posse Alexandrino Leonidae. Ego autem facere velim cum Reitzensteinio, qui dicit nemini nisi poetriae Tegeatidi dandum esse hoc epigramma.[1]) Infra occasio erit pluribus exponendi, cur ei assentiar: nunc haec ea de re sufficiant. Si autem ponimus Anyten composuisse hoc epigramma, licet asseverare v. 2. eam respexisse Byzantiam poetriam, quae, ut apparet ex sequenti versu, tunc temporis iuvenili etiam esset aetate. Re bene perpensa adducor in eam opinionem, ut putem Cephisodotum initio tertii saeculi a. Chr. n. simul elaboravisse simulacra Anytes ac Myrus, quum haec moraretur in Peloponneso atque arcta amicitia coniuncta esset cum Anyte. Talem rationem inter eas intercessisse credo, qualis fuit inter Theocritum et Nician, qui pari modo sese respexerunt in carminibus suis. Hoc quoque simile habent hae mulieres, quod utriusque nomen occurrit in historia mirae alicuius sanationis. Ut iam vidimus, Myro cantavit nymphas Anigriades, orans eas ut servarent Cleo-

---

[1]) Epigr. u. Skol. pag. 144 infra.

nymum atque Pausaniae descriptio Graeciae desinit in narrationem mirificae sanationis Phalysii, Naupacti incolae, in qua magnas egit partes Anyte. [1]) Dicas paene iuxta artem poeticam medicinam quoque arrisisse duabus his amicis. Quo autem tempore repraesentarentur a Cephisodoto, Myro, quae nondum nupserat Andromacho, prima florebat iuventute neque Anyten multo maiorem natu fuisse credo, ita ut sculptor ambas poetrias iuvenili repraesentaverit aetate. Comparare possumus Corinnae statuam, quae Reinachii innotuit commentatione, nam in ea quoque poetria Tanagraea puellae prae se fert speciem. Circa annum 320 a. Chr. n. natam esse Anyten puto eiusque effigiem a Cephisodoto esse factam, quum esset illa inter vicesimum atque tricesimum aetatis annum. Eius ἀκμή statuenda erit circa annum 280.

Satis hodie constat Nician, medicum Milesium, esse imitatum Anytes artem, qua ex re sequitur paulo iuniorem poetria nostra eum fuisse. Niciae aetas vulgo ex eo constituitur, quod fuit familiaris Theocriti, qui natus esse videtur inter annos 315 et 312. [2]) Quodsi Anyte paulo maior natu fuit quam Theocritus et Nicias, denuo adducimur fere ad annum 320 in statuendo eius anno natali; certe sic non longe aberrabimus a vero. [3])

Iterum nunc inspiciamus Phalysii historiam, a Pausania traditam, quam supra strictim iam attigi. Narrat auctor vidisse se Naupacti rudera cuiusdam templi, Aesculapio sacri, quod olim condidisset Phalysius ille, privatus in ea

---

[1]) Paus. X. 38. 7.

[2]) Susemihl. l.l. I pag. 198. ann. 4.

[3]) Apparet me in statuenda Anytes aetate non stare a parte Reitzensteinii, qui, quum inter poetriam Tegeatidem et Nician interponat Mnasalcan, eo devenit ut credat circa a. 300 vel etiam paulo ante attigisse Anyten τὴν ἀκμήν. Me autem omnia ducunt, ut putem Nician parvo tantum temporis spatio distare ab Anyte, contra Mnasalcan aliquanto post duos hos floruisse poetas.

urbe habitans. Is cum ex oculis laboraret et visu paene orbatus esset, Naupactum venit Anyte, quae mirificam sanationem ei attulit. Nam dedit ei ceras sigillo instructas, quas per somnum ipsa quondam acceperat a deo Epidaurio, simul eam admonente, ut iter illud faceret. Abstraxit Phalysius sigillum et ceris inspectis repente visum recuperavit. Grato animo poetriae dedit pecuniae summam, in ceris illis indicatam, scilicet staterum duo milia aureorum. — Quamquam disertis verbis id non dicit Pausanias, tamen ex toto narrationis contextu satis apparet Anyten non suum in usum accepisse illas divitias, sed ea pecunia Naupacti aedificatum esse Aesculapii templum. Non temere suspicatur Reitzensteinius [1]) totam hanc Pausaniae narrationem fluxisse ex huius templi inscriptione dedicatoria, ab ipsa Anyte composita, quam inscriptionem Naupacti cognoverit periegeta. Quodammodo Anytes epigramma hoc cogitatione complecti possumus, si inspicimus Isylli, aequalis poetae, similem inscriptionem, quae per litteram E designari solet. Qui titulus, expletis lacunis atque mendis correctis, est huiusmodi:

*καὶ τόδε σῆς ἀρετῆς, Ἀσκληπιέ, τοὖργον ἔδειξας*
*ἐγ κείνοισι χρόνοις ὅκα δὴ στρατὸν ἦγε Φίλιππος*
*εἰς Σπάρτην, ἐθέλων ἀνελεῖν βασιληίδα τιμήν.*
*τοῖς δ' Ἀσκληπιὸς ἦλθε βοαθόος ἐξ Ἐπιδαύρου*
*τιμῶν Ἡρακλέος γενεάν· ἇς φείδετ' ἄρα Ζεύς*
*τουτάκι δ'ἦλθ', ὅχ' ὁ παῖς ἐκ Βουσπόρου ἦλθεν ὁ κάμνων*
*τῷ τύγα ποστείχοντι συνάντησας σὺν ὅπλοισιν*
*λαμπόμενος χρυσέοις, Ἀσκλαπιέ. παῖς δ'ἐσιδών σε*
*λίσσετο χεῖρ' ὀρέγων ἱκέτῃ μύθῳ σε προσαντῶν*
*„ἄμπορος εἶμι τεῶν δώρων, Ἀσκλαπιὲ Παιάν,*
*ἀλλά μ' ἐποίκτειρον." τὺ δέ μοι τάδ' ἔλεξας ἐναργῆ*
*„θάρσει· καιρῷ γάρ σοι ἀφίξομαι (ἀλλὰ μέν' αὐτεῖ)*

---

1) Epigr. u. Skol. pag. 133.

τοῖς Λακεδαιμονίοις χαλεπὰς ἀπὸ κῆρας ἐρύξας,
οὕνεκα τοὺς Φοίβου χρησμοὺς σώζοντι δικαίως
οὓς μαντευσάμενος παρέταξε πόλῃ Λυκοῦργος."
ὥς ὁ μὲν ᾤχετ' ἐπὶ Σπάρτην· ἐμὲ δ' ὦρσε νόημα
ἀγγεῖλαι Λακεδαιμονίοις ἐλθόντα τὸ θεῖον
πάντα μάλ' ἑξείας. οἳ δ' αὐδήσαντος ἄκουσαν
σώτειραν φήμαν, 'Ασκλαπιέ, καί σφε σάωσας.
οἳ δὴ ἐκάρυξαν πάντας ξενίαις σε δέκεσθαι
σωτῆρ' εὐρυχόρου Λακεδαίμονος ἀγκαλέοντες.
ταῦτά τοι, ὦ μέγ' ἄριστε θεῶν, ἀνέθηκεν Ἴσυλλος
τιμῶν σὴν ἀρετήν, ὦναξ, ὥσπερ τὸ δίκαιον.[1])

Magni momenti mihi videtur Pausaniae narratiuncula ad cognoscendam Anytes vitam, quod varias res ex ea efficere nobis licet. Primum videmus non tantum studuisse nostram carminibus faciendis, sed etiam ministerio coluisse Aesculapium atque dedisse operam, ut inter aequales extenderetur eius cultus. Deinde ex hac historia sequitur non totam vitam degisse eam Tegeae vel etiam in Peloponneso, sed interdum itinera quoque suscepisse. Praeterea temporum indicium quoddam elicere possumus e Pausaniae loco.

Etenim ex argumentis Isylli carminum, ante paucos hos annos Epidauri inventorum, de quibus ultimum supra exscripsi, v. cl. Wilamowitz effecit composita esse ea poemata ab Isyllo, longius iam aetate provecto, circa annum 280 a. Chr. n. [2]), quo tempore Epidauriorum

---

1) Cf. U. v. Wilamowitz-Moellendorff. Isyllos von Epidauros (Philolog. Untersuch. Heft IX) pag. 22 sq., unde descripsi hoc ep. nisi quod v. 7 vocabulo τῷ perspicuitatis gratia reddidi iota, sive ab ipso Isyllo, sive a lapidario neglectum, et quod quattuor locis signo repraesentavi vocalium elisiones, v. 5. scribens Φείδετ' ἄρα pro Φείδετο ἄρα, v. 11. τάδ' ἔλεξας pro τάδε ἔλεξας, v. 16. ὤχετ' ἐπί pro ὤιχετο ἐπί, v. 21. σωτῆρ' εὐρυχόρου pro σωτῆρα εὐρυχόρου. Novum vocabulum ἄμπορος (v. 10) sic interpretatur editor, ut verba ἄμπορος εἶμι τεῶν δώρων significent εἶμι ἐπι το πορίζεσθαι τὰ σὰ δῶρα.

2) Cf. ibidem pagg. 36 et 39.

civitas magna inter Graecos auctoritate atque magnis opibus usa esse videtur. Itaque si audacter ponimus circa idem fere tempus, quo floruit ille poeta, Anyten a sacerdotibus Epidauriis missam esse Naupactum, ut ibi Aesculapii conderet delubrum, optime haec res convenit cum iis, quae supra exposuimus de Anytes aetate.

Vixit igitur poetria Tegeatis initio eorum temporum, quae Hellenismi nomine designare solemus. Quae aetas a classica aetate solet distingui hac praesertim de causa, quod, postquam Alexandri Magni longinqua itinera Graecam eruditionem divulgaverant per gentes remotas simulque a victis illis nationibus Graeci multa nova discere coeperant, Graecorum mores, institutiones, artes, disciplinae paulatim erant immutatae.

Amiserat autem ea aetate antiquam Graecia libertatem; in litteris non iam principem obtinebat locum dialectus Attica, sed cedere coeperat τῇ κοινῇ, cui erant immixta vocabula semi-barbara atque soloecismi; Athenae quidem sedes esse pergebant principum philosophorum scholarum, ad quas undique confluebant ii, qui philosophiae studendi cupidi erant, [1]) sed philologi se averterant a vetere litterarum seminario, et plus quam umquam antea fecerant, principum potentium gratiam petebant, qua magnopere indigebant temporibus illis turbidis. Diadochorum ac epigonorum aulae refertae erant notissimis poetis, mathematicis, medicis, geographis Graecis, qui a patria remoti in regionibus exteris tranquille vitam traducebant, studio intenti artium ac disciplinarum et plerumque circumdati aemulorum aliquot sodalicio. [2]) In aula regum Aegyptiorum praepotentes esse solebant principum uxores, matres, sorores, quarum audacia interdum eo est progressa,

---

1) Cf. Susemihl I. pag. 2.

2) Cf. Couat. La poésie alexandrine sous les trois premiers Ptolémées. pagg. 515—520.

ut rerum usurpaverint regimen. Nil mirum igitur quod poetae Alexandrini reginarum semper quaesiverunt tutelam ac praesidium et multa saepe cantaverunt in earum laudem; ut reliqua reticeam, obiter hic memorare velim Callimachi *κόμην Βερενίκης*. Reginarum autem potentiam aemulabantur regum paelices ac ceterae mulieres nobiles, pariter sibi adiungere studentes eos viros, qui excellerent doctrina et arte. [1]) Non solum autem hoc habet peculiare Alexandrinorum poesis, quod principum et mulierum potentium cantat laudes, sed aliis quoque de causis longe distat a classicis artis poeticae monumentis. Classica aetate scriptores Graeci plus quam suam ipsorum quaerebant gloriam patriae, quam operibus suis celebrare numquam eos taedebat, etiamsi interdum civium iniquitas eos afflixerat atque in exilium egerat. Poetarum autem Alexandrinorum parum intererat floreretne an langueret patria, quam iuvenes deseruerant, ut apud exteros principes habitatum concederent; eorum ars spectabat res minutas ac domesticas, vitam quotidianam atque animi affectus, quibus in ea vita agitantur singuli homines.

Non subito tamen orta est mutatio illa, nam qua via sunt secuti Alexandrini, ea classicis temporibus iam praeierant in tragoedia Euripides, Menander in comoedia. [2]) Aristophanes in Ranis acerbe invehitur in Euripidem, quem sic de semet ipsum inducit dicentem, ut sit:

*οἰκεῖα πράγματ' εἰσάγων, οἷς χρώμεθ', οἷς ξύνεσμεν* [3])

id quod humilius quam pro tragoediae dignitate iudicat eius vituperator.

Vetus tragica musa tantum non semper in scenam induxerat heroes, nobiles causas defendentes, luctantes ne officiis suis deessent, at Euripides potius delectabatur

---

1) Couat pag. 24 sq.
2) Couat pagg. 59—61.
3) Arist. Ran. 959.

transferendo tragicam artem ad eos affectus, quibus in vita quotidiana commoveri solet genus humanum, qua de causa iuxta proceres homines quoque humili loco nati partes agunt in eius fabulis, ut ipsum eum testantem facit poeta comicus his verbis:

> ἔπειτ' ἀπὸ τῶν πρώτων ἐπῶν οὐδὲν παρῆκ' ἂν ἀργόν,
> ἀλλ' ἔλεγεν ἡ γυνή τέ μοι χὠ δοῦλος οὐδὲν ἧττον,
> χὠ δεσπότης χἠ παρθένος χἠ γραῦς ἄν. [1])

Sic paulatim recentioris tragoediae princeps facta est materia is animi motus, qui inter omnes maxime eminet, amorem dico; qua re cum Euripidis poesi convenit Alexandrinorum ars, quae ipsa quoque multum versatur in cantando amore, ut ostendunt Anthologiae libri V et XII.

In describenda autem vita quotidiana ac rebus domesticis longius etiam sunt progressi Alexandrini quam ii poetae, qui exemplum iis praebuerant, nam Euripides certe Aeschylo roganti:

> τίνος οὕνεκα χρὴ θαυμάζειν ἄνδρα ποιητήν;

respondet:

> δεξιότητος καὶ νουθεσίας, ὅτι βελτίους τε ποιοῦμεν
> τοὺς ἀνθρώπους ἐν ταῖς πόλεσιν. [2])

verum Alexandrina aetate, exstincta omni rei publicae cura, fieri non poterat, quin poetae totos se dederent studio vitae privatae atque humanae mentis. Simul eos cepit desiderium ostentandae doctrinae atque eruditionis suae, quod eos permovit ad compilanda veterum opera, ad indagandas et colligendas fabulas mythicas, eas imprimis, quae antea latuerant in singulis Graeciae urbibus vel regionibus nec in Graecas litteras introductae erant. Hinc Alexandrinorum carmina elegiaca, in quae praesertim cumulaverunt doctrinae suae testimonia (qua in re eorum fuerat praecursor

---

1) Arist. Ran. 948—950.
2) ibidem 1008—1010.

Antimachus Colophonius) saepe doctis catalogis sunt similia neque profecta esse videntur a poetis cantandi ardore incensis. Quia porro multam quoque operam impendere solebant Alexandrini rei metricae atque eleganti verborum dispositioni, apparet vulgo magis doctos ac studiosos quam ingenio praeditos eos fuisse.[1]) Itaque non miramur, quod poesis Alexandrina par non erat amplis materiis, magnis carminibus, sed mox ad formas minutas est redacta. Vidit haec aetas originem bucolicae poesis, quae delectabatur rusticae vitae simplicibus moribus, quo tempore ubique eruditionis finem attigerant summi ordines; nec spernenda esse parva novae artis opera optime ostendunt Theocriti concinna ac suavia idyllia.

Maxime autem atque potissimum Alexandrini eminuerunt epigrammatica arte, quam a vetustioribus poetis, ut Simonide, inchoatam ad summum produxerunt fastigium; etenim huius poesis formae breves ac minutae aptissimae erant ingenio Alexandrinorum, qui in carmina haec minuscula omnia sui sermonis artificia conferre adamabant. Ad epigrammatum poetarum certamen mulieres quoque aliquot accesserunt, e quibus trium nobis servavit carmina Anthologia Graeca; sunt autem Anyte, Myro, Nossis. Nec solae hae sunt poetriae, quas tulit illa aetas, nam Hedyle quoque Anytes fuit aequalis. Quod Hellenismi saeculum poetriis satis fuit affluens partim mihi videtur explicari posse ex tota Alexandrinae poesis indole, quae, quum ad ipsarum mundum atque societatem detrusisset poesin, mulieribus faciliorem reddidit aditum ad poeticam artem quam fuerat ille antea, partim inde etiam, quod non solum in aulis

---

[1]) Aptissime in pauca contulit opinionem suam de his poetis Couatius pag. 68 dicens: „Ne pouvant être des créateurs, beaucoup se résignent à n'être que des virtuoses. La nécessité de dresser un catalogue des richesses du passé, voilà leur raison d'être; l'habileté et le consciencieux labeur, voilà leur excuse."

regiis, sed apud ceteros quoque ordines in civitate maiore fruebantur libertate feminae, quam quae classica aetate concessa iis erat.[1]) Earum exemplo plus semel filii incitati sunt ad eandem colendam artem, qua inclaruerant matres; novimus enim Myro poetria natum esse Homerum tragicum atque Hedylen fuisse matrem Hedyli poetae.

Inter aequales autem illas mulieres principem obtinuit locum poetria Tegeaea, quae et Myro et Nossidi viam monstrasse videtur in epigrammatica arte. Anytes nomen non latuisse in tenebris, sed mox passim evulgatum esse apparet ex Pausaniae narratione de Aesculapii templo Naupacti ab ea condito, atque inde etiam quod duo sculptores notissimi dignam eam iudicaverunt, cuius elaborarent statuas. Porro Meleager Gadarenus, uti iam vidimus, quum in prooemio coronae suae iniret enumerationem poetarum, qui carmina sibi suppeditavissent, ab initio posuit Anytes nomen, quod, credo, non fecisset, si mediocrem eam iudicavisset poetriam. Maximas autem laudes assecuta est Anyte in Antipatri epigrammate supra laudato, ubi *θῆλυς Ὅμηρος* cognomine ornatur, quo indicare voluisse videtur Antipater eum inter poetrias occupavisse locum Anyten, quem inter vates tenuit Homerus.

---

1) Conatius pag. 24 infra legentes commonefacit Theocriti idyllii XV., in quo liberius se gerunt mulieres.

## CAPUT II.

### De Anthologia Graeca ceterisque fontibus, e quibus cognitam habemus Anytes poesin.

Antequam accedam ad studium ipsorum Anytes carminum, breviter libet exponere quomodo ad nos illa pervenerint. [1]) Praeter unum carmen sepulcrale, ex his constans versibus:

*Ὤλεο δή ποτε καὶ σὺ πολύρριζον παρὰ θάμνον,*
*Λόκρι, φιλοφθόγγων ὠκυτάτη σκυλάκων·*
*τοῖον ἐλαφρίζοντι τεῷ ἐγκάτθετο κώλῳ*
*ἰὸν ἀμείλικτον ποικιλόδειρος ἔχις.*

quod carmen servavit Pollux [2]), omnia poetriae Tegeatidis epigrammata continentur Anthologia Graeca. Efficiunt autem illam anthologiam duo praesertim epigrammatum florilegia, quorum utrumque pertinet ad Byzantinam aetatem. Amplioris sylloges, quam exhibet codex Palatinus 23 saeculi XI, a quo codice appellatur Anthologia Palatina, fundamenta iecit Constantinus Cephalas, qui anno 917 Byzantii protopapae munere fungebatur. Parciorem anthologiam

1) Quae exposui hoc capite, ea magna ex parte mihi suppeditaverunt Susemihlius (Gesch. d. gr. Litt. i. d. Alexandrinerzeit II C. 36. ann. 222), Stadtmuelleri prolegomena ad vol. I et vol. II partem priorem in Anth. Gr. ed., Weisshaeupl (Die Grabgedichte d. gr. Anth. pagg. 1—50), quos tres fontes singulas ad res laudare supersedi, nisi cum indicandi iusta quaedam causa esse videbatur.

2) V. 48. Dedi textum eius Pollucis editionis, quam a. 1846 elaboravit I. Bekkerus.

saeculo 14 confecit Maximus Planudes monachus, cuius codex autographus, Marcianus 481, ad hunc usque diem exstat. Ante annum 1606 haec sola sylloge nota erat, quae solebat nuncupari generali Graecae Anthologiae nomine, quo post repertum codicem Palatinum ambae potissimum syllogae designari coeptae sunt. In posterum autem Planudis autographum designabo per siglum $Pl^{M}$, sicut inter Planudeas editiones siglo $Pl^{B}$ indicabo editionem Boschianam ac Lennepianam; quae sigla mihi suppeditavit Stadtmuelleri Anthologiae Graecae editio.

Continet Planudea Anthologia ex iis epigrammatis, quae quin sint scripta ab ipsa Anyte hodie nemo dubitat, undecim, per varios dispertita libros. Etenim Maximus syllogen suam divisit in septem libros, quorum primus exhibet epigrammata demonstrativa et exhortatoria, secundus irrisoria et convivalia, tertius sepulcralia, quartus descriptiva, quintus Christodori descriptionem, sextus selecta epigrammata dedicatoria, postremus amatoria. Hoc autem interest inter $Pl^{M}$ et editiones Planudeas, quod codex quattuor libros priores in binas partes discerptos exhibet, et ita quidem, ut libri $I^{a}$ $II^{a}$ $III^{a}$ $IV^{a}$ praecedant libros V—VII, contra libri $I^{b}$—$IV^{b}$ a fine positi quasi totius sylloges appendicem efficiant, editiones vero cuiusque libri partes coniunxerunt, in prioris semper partis capita inserentes epigrammata similium posterioris particulae capitum. Sed quum vulgo utriusque partis capita inter se aequata non sint, ita ut aut in priore desint quaedam in posteriore obvia, aut in posteriore desiderentur nonnulla prioris partis, saepe fit ut ei capiti, quo legitur aliquod epigramma in codice, appictus sit numerus diversus a numero capitis, cui insertum id exhibent editiones. Ipse Planudes in distinguendis ac disponendis epigrammatum variis generibus interdum incertus haesisse videtur; certe nonnumquam anterioris libri quaedam epigrammata in posteriore iteravit, id quod bis evenit

in Anytes carminibus; namque epigramma A. Gr. IX 144 in $\mathrm{Pl}^{M}$ continetur tam primo quam quarto libro atque codicis Marciani carmen VI. 24. 6 legitur etiam in libro $\mathrm{IV}_{b}$. [1])

Optime meritus est de Anthologia Planudea Hugo Grotius, qui elegantissima versione Latina eam instruxit. Soli autem huic minori syllogae operam navare potuit, nam, etsi Grotii aetate repertus iam erat codex Palatinus, tamen diu longe afuit, ut omnes, quas continet, copiae publici fierent iuris.

Indicabo nunc qua sede singula poetriae epigrammata et in $\mathrm{Pl}^{M}$ et in $\mathrm{Pl}^{B}$ legantur, qua in enumeratione utile erit non recedere ab eo ordine, quo hodie adsunt in Graecae Anthologiae editionibus. Simul exscribam textum, quem praebet $\mathrm{Pl}^{B}$, cui adnectam Grotii versionem Latinam.

---

1) Huius ep. duplicem sedem in $\mathrm{Pl}^{M}$ indicat Stadtmuellerus vol. I. pag. 225. quo loco tamen non addit in quoto capite libri $\mathrm{IV}^{b}$ id occurrat.

1. Pl$^{M}$ L. I$^{b}$. c. 33. 5. Pl$^{B}$ L. I. C. 33. 29. A. Gr. VI. 312.

*Ἡνία δή τοι παῖδες ἔνι, τράγε, φοινικόεντα*
*Θέντες, καὶ λασίῳ φιμὰ περὶ στόματι,*
*Ἵππια παιδεύουσι θεοῦ περὶ ναὸν ἄεθλα,*
*Ὄφρ' αὐτοὺς φορέῃς ἤπια τερπομένους.*

2. Pl$^{M}$ L. III$^{a}$. c. 21. 11. Pl$^{B}$ L. III. C. 24. 11. A. Gr. VII. 202.

*Εἰς ἀλέκτορα.*

*Οὐκ ἔτι μ' ὡς τὸ πάρος, πυκιναῖς πτερύγεσσιν ἐρέσσων,*
*Ὄρσεις, ἐξ εὐνῆς ὄρθριος ἐγρόμενος.*
*Ἦ γάρ σ' ὑπνώοντα σίνις λαθρηδὸν ἐπελθὼν*
*Ἔκτεινεν, λαιμῷ ῥίμφα καθεὶς ὄνυχα.*

3. Pl$^{M}$ L. III$^{b}$. c. 4. 17. Pl$^{B}$ L. III. C. 5. 54. A. Gr. VII. 208.

*Μνᾶμα τόδε φθιμένου Μενεδαΐου εἵσατο Δᾶμις,*
*Ἵππῳ ἐπεὶ στέρνον τοῦδε δαφοινὸς Ἄρης*
*Τύψε· μέλαν δέ οἱ αἷμα ταλαυρίνου διὰ χρωτὸς*
*Ζέσσ', ἐπὶ δ' ἀργαλέαν βῶλον ἔδευσε φόνῳ.*

4. Pl$^{M}$ L. III$^{b}$. c. 25. 8. Pl$^{B}$ L. III. C. 31. 12. A. Gr. VII. 486.

*Πολλάκι τῷδ' ὀλοφυδνὰ κόρας ἐπὶ σάματι κλεινὰ*
*Μάτηρ ὠκύμορον παῖδ' ἐβόησε, φίλαν*
*Ψυχὴν ἀγκαλέουσα Φιλαινίδος, ἃ πρὸ γάμοιο*
*Χλωρὸν ὑπὲρ ποταμοῦ χεῦμ' Ἀχέροντος ἔβα.*

5. Pl$^{M}$ L. III$^{b}$. c. 20. 6. Pl$^{B}$ L. III. C. 23. 25. A. Gr. VII. 490.

*Παρθένον Ἀντιβίην κατοδύρομαι, ἧς ἔπι πολλοὶ*
*Νυμφίοι ἱέμενοι πατρὸς ἵκοντο δόμον,*
*Κάλλευς καὶ πινυτῆτος ἀγακλέος· ἀλλ' ἐπὶ πάντων*
*Ἐλπίδας οὐλομένη μοῖρ' ἐκύλισσε πρόσω.*

6. Pl$^{M}$ L. III$^{b}$. c. 25. 7. Pl$^{B}$ L. III. C. 31. 11. A. Gr. VII. 646.

*Λοίσθια δὴ τάδε πατρὶ φίλῳ, περὶ χεῖρε βαλοῦσα,*
*Εἶπ' Ἐρατώ, χλωροῖς δάκρυσι λειβομένα·*
*Ὦ πάτερ, οὔτοι ἔτ' εἰμί, μέλας δ' ἐμὸν ὄμμα καλύπτει*
*Ἤδη ἀποφθιμένης κυάνεος θάνατος.*

En pueri, barbate caper, tibi torva lupatis
  Ora premunt, collum stringit habena rubens.
Sic ad templa Deûm festos imitantur honores
  Et parvi parvo dulce vehuntur equo.

de gallo.

Non posthac densas plaudens, vigil improbe, pennas
  Excuties somnos mane recente meos.
Fur tibi surrepens, cum te quoque somnus haberet,
  Non animadverso conscidit ungue gulam.

Damis equo posuit Menedaio triste sepulchrum,
  Quem ferus in medio pectore Mars tetigit.
At niger effluxit valido de corpore sanguis,
  Et duram tepido flumine tinxit humum.

Planxit ad hoc crebro mater miseranda sepulchrum
  Natam, quam properans mors tulit, ore ciens;
Si posset revocare Philaenida: non redit illa
  Ante maritales ad Styga rapta toros.

Virginis Antibiae fatum gemo; cuius amore
  Ad patris innumeri limen iere proci.
Nam formae prudens aderat sollertia, sed tot
  Spes hominum retro Parca maligna tulit.

Haec Erato complexa patrem dedit ultima verba,
  Dumque dabat, lachrymis permaduere genae:
Non ultra tibi sum genitor; mea lumina (sensi)
  Frigida mors anima iam fugiente tegit.

7. Pl$^B$ L. I. C. 38. 6. et L. IV. C. 12. 104. A. Gr. IX. 144.

*Εἰς Κύπριδα.* [1])

*Κύπριδος οὗτος ὁ χῶρος, ἐπεὶ φίλον ἔπλετο τήνᾳ*
*Αἰὲν ἀπ' ἠπείρου λαμπρὸν ὁρᾶν πέλαγος,*
*Ὄφρα φίλον ναύταισι τελῇ πλόον, ἀμφὶ δὲ πόντος*
*Δειμαίνῃ, λιπαρὸν δερκόμενος ξόανον.*

8. Pl$^B$ L. IV. C. 12. 114. A. Gr. IX. 314.

*Εἰς Ἑρμῆν.*

*Ἑρμᾶς τᾷδ' ἕστακα παρ' ὄρχατον ἠνεμόεντα*
*Ἐν τριόδοις, πολιᾶς ἐγγύθεν ἀϊόνος,*
*Ἀνδράσι κεκμηῶσιν ἔχων ἄμπαυσιν ὁδοῖο.*
*Ψυχρὸν δ' εὐκραεῖ κράνα ὑποϊάχει.*

9. Pl$^B$ L. IV. C. 12. 80. A. Gr. XVI. 228.

*Εἰς τὸ αὐτό* (sc. *Εἰς ἄγαλμα Πανός*).

*Ξεῖν', ὑπὸ τὰν πέτραν τετρυμένα γυῖ' ἀνάπαυσον·*
*Ἁδύ τοι ἐν χλωροῖς πνεῦμα θροεῖ πετάλοις·*
*Πίδακά τ' ἐκ παγᾶς ψυχρὸν πίε· δὴ γὰρ ὁδίταις*
*Ἄμπαυμ' ἐν θερμῷ καύματι τοῦτο φίλον.*

10. Pl$^B$ L. IV. C. 12. 83. A. Gr. XVI. 231.

*Εἰς ἕτερον Πᾶνα.*

*Τίπτε κατ' οἰόβατον, Πὰν ἀγρότα, δάσκιον ὕλαν*
*Ἥμενος, ἁδυβόᾳ τῷδε κρέκεις δόνακι;*
*Ὄφρά μοι ἑρσήεντα κατ' οὔρεα ταῦτα νέμοιντο*
*Πόρτιες, ἠϋκόμων δρεπτόμεναι σταχύων.*

11. Pl$^M$ L. IV$^b$. et L. VI. C. 24. 6. Pl$^B$ L. IV. C. 26. 4. et L. VI. C. 24. 6. A. Gr. XVI. 291.

*Φριξοκόμᾳ τόδε Πανὶ, καὶ Αὐλιάσιν θέτο Νύμφαις*
*Δῶρον ὑπὸ σκοπιᾶς Θεύδοτος οἰονόμος.*
*Οὕνεχ' ὑπ' ἀζαλέου θέρεος μέγα κεκμηῶτα*
*Παῦσαν, ὀρέξασαι χερσὶ μελιχρὸν ὕδωρ.*

---

1) Priore sede deest titulus atque v. 3. pro *ναύταισι* legitur *ναύτῃσι*, v. 4. *λαμπρόν* pro *λιπαρόν*.

de Venere.

Ista decet Venerem sedes, quae lucida gaudet
  Aequora de specula littoris aspicere;
Ut placidum praestet nautis iter, et tremat ipsam,
  Effigiem pulchram dum videt, unda maris.

de Mercurio.

Adsto Mercurius ventum patientibus hortis
  In trivio, longe nec mihi littus abest.
Si libet, hic fessos artus requiesce. Viator:
  Supter fons gelidus, pigra susurrat aqua.

de eodem (sc. de Panis effigie).

Fessa sub hanc rupem declina membra viator.
  Dulce sub hac Zephyri fronde virente sonant.
Et laticem bibe fontis. iter facientibus haec est
  Aestatis calido tempore grata quies.

de Pane alio.

Hic rogo cur, ovibus praebent ubi pascua silvae,
  Pan levibus calamis carmen agreste canis?
Longius ut nostrae, iuga sunt ubi roscida, currant
  Et Cereris carpant mitia dona boves.

Ruricolis donum Nymphis, Faunoque piloso,
  Theudotus upilio rupe sub hac posuit.
Propterea quod cum torrente fatisceret aestu
  Praebuerint manibus pocula dulcis aquae.

Videamus nunc de illo manuscripto, quod anno 1606 Heidelbergae repperit Salmasius ac de variis librariorum manibus, quae in eo distinguuntur. Etenim, quo facilius intelligantur, quae infra in constituendo Anytes carminum textu erunt argumentanda, utile videtur, Stadtmuellero potissimum duce, legentibus in memoriam revocare praecipui huius codicis historiam atque hodiernum statum.

Incipit Anthologia Palatina a codicis pag. 49 et continuatur usque ad pag. 710. Quam ingentem carminum multitudinem hodie, Jacobsii exemplum secuti,[1]) dividere solemus in quindecim libros. Primi libri epigrammata Christiana excipit Christodori ecphrasis, quam sequuntur libro tertio epigrammata Cyzicena. Continet liber quartus prooemia trium anthologiarum vetustiorum, a Meleagro, Philippo, Agathia ordinatarum, e quibus fluxit pars maxima Palatinae Anthologiae; liber quintus exhibet carmina amatoria, sextus anathematica, septimus sepulcralia, octavus Gregorii Theologi epigrammata, nonus demonstrativa, decimus exhortativa, undecimus convivalia et irrisoria; liber sequens complectitur Stratonis μοῦσαν παιδικήν una cum aliorum aliquot poetarum epigrammatis, in libro tertio decimo collocata sunt epigrammata variis metris conscripta, liber paenultimus continet quaestiones arithmeticas, aenigmata, oracula, postremo codicis paginae 665—710 continent farraginem commixtorum carminum, quorum nonnulla recepta iam erant in libros praecedentes [2]) ac e quibus selecta quaedam in librum quintum decimum collegit Jacobsius. Anytes autem poesin exhibent inter hos libros sextus, sep-

---

[1]) Cf. Anth. Gr. ed., quam inter annos 1813—1817 curavit Fr. Jacobs; vid. etiam, quae de hac Anthologiae divisione disserit Susemihlius l.l. II pag. 568 infra.

[2]) Veluti inter epp. XV. 27 et XV. 28 in cod. (pagg. 676—691) leguntur carmina Anacreontia aliquot et inter Jacobsii ed. carmina 39 et 40 in cod. (pagg. 696—705) inserta est series 70 epp. Gregorii Theologi, quae omnia iam continentur L. VIII.

timus, nonus, quibus libris praeter octo carmina in Planudea quoque Anthologia obvia eaque VI 312, VII 202, VII 208, VII 486, VII 490, VII 646, IX 144, IX 314 [1]) continentur etiam haec:

1. VI. 123.

*Ἕσταθι τᾷδε, κράνεια βροτοκτόνε, μηδ' ἔτι λυγρὸν*
*χάλκεον ἀμφ' ὄνυχα στάζε φόνον δαΐων·*
*ἀλλ' ἀνὰ μαρμάρεον δόμον ἡμένα αἰπὺν Ἀθάνας*
*ἄγγελλ' ἀνορέαν Κρητὸς Ἐχεκρατίδα.*

2. VI. 153.

*Βουχανδὴς ὁ λέβης· ὁ δὲ θεὶς Ἐριασπίδα υἱὸς*
*Κλεύβοτος· ἁ πάτρα δ' εὐρύχορος Τεγέα·*
*τἀθάνᾳ δὲ τὸ δῶρον· Ἀριστοτέλης δ' ἐπόησεν*
*Κλειτόριος, γενέτᾳ ταὐτὸ λαχὼν ὄνομα.*

3. VII. 215.

*Οὐκέτι δὴ πλωτοῖσιν ἀγαλλόμενος πελάγεσσιν*
*αὐχέν' ἀναρρίψω βυσσόθεν ὀρνύμενος,*
*οὐδὲ παρ' εὐσκάλμοιο νεὼς περικαλλέα χείλη*
*ποιφύξω τἀμᾷ τερπόμενος προτομᾷ·*
*ἀλλά με πορφυρέα πόντου νοτὶς ὦσ' ἐπὶ χέρσον,*
*κεῖμαι δὲ ῥαδινὰν τάνδε παρ' ἠιόνα.*

4. VII. 724.

*Ἦ ῥα μένος σε, Πρόαρχ', ὄλεσ' ἐν δαΐ, δῶμά τε πατρὸς*
*Φειδία ἐν δνοφερῷ πένθει ἔθου φθίμενος*
*ἀλλὰ καλόν τοι ὕπερθεν ἔπος τόδε πέτρος ἀείδει,*
*ὡς ἔθανες πρὸ φίλας μαρνάμενος πατρίδος.*

5. IX. 745.

*Θάεο τὸν Βρομίου κεραὸν τράγον, ὡς ἀγερώχως*
*ὄμμα κατὰ λασίαν γαῦρον ἔχει γενύων,*
*κυδιόων ὅτι οἱ θάμ' ἐν οὔρεσιν ἀμφὶ παρῇδα*
*βόστρυχον εἰς ῥοδέαν Ναῒς ἔδεκτο χέρα.*

---

1) Anytes epp. A. Gr. XVI 228, 231, 291 in cod. P deesse mox erit occasio exponendi.

Codex Palatinus, quem in posterum per solam litteram P indicare praestabit, exaratus est a septem utique librariis, quorum sex designantur vulgo siglis A, J (vel A*),[1] B, S, L, C. Quibus scribis recentior videtur fuisse is, qui in quattuor prioribus codicis foliis scripsit syllogen 34 epigrammatum, quam siglo $\Sigma^{\tau}$ instruxit Stadtmuellerus; idem librarius exaravit quaedam epigrammata ad libros IX atque XI extremos attinentia, quae continentur cod. pagg. 488 et 568 et postremo epigrammata XV 41—51. Scriba S scripsit pagg. 518–524 vel epigrammata XI 67—122.

Paucis autem exceptis totus textus Palatinorum epigrammatum debetur tribus tantum scribis: A, J, B, quorum primus exaravit carmina pleraque, quae leguntur inde a L. I. usque ad cod. pag. 420 vel ep. IX 373, ita tamen, ut scribae J exaranda reliquerit ea ex Christianis epigrammatis, quae continentur pagg. 49, 50, 62, 63 habentque locum ab initio et a fine L. I. Praeterea J scripsit pagg. 421–452 (IX 374–563); postremo vero inde a pag. 453 vel ab ep. IX 564 usque ad Anthologiae Palatinae finem carminum textus fere totus profectus est a scriba B, qui carminibus a se scriptis adiunxit etiam titulos.

A quoque et J saepe ad epigrammata, in priore codicis parte obvia, appinxerunt auctorum nomina, verum interdum etiam ea omiserunt, veluti epigrammata VII 156–741 paene omnia auctorum nominibus destituta tradidit A. Idem multa epigrammata instruxit lemmatis, quae tamen semel iterumque inchoavit modo nec perduxit ad finem. Lemmata illa imperfecta vulgo supplevit L(emmatista), qui omnem fere operam consumpsit in adscribendis lemmatis

---

[1]) Quem scribam Stadtmuellerus apud Weisshaeuplium indicaverat per siglum A*, eundem in Anth. ed. J appellare maluit; hinc titulum ep. IX 556 *Ζωνᾶ* apud Weissh. (pag. 19) refert ad A*, sed in Anth. ed. vol. I praefatione (pag. XX) ad J.

iis epigrammatis, quae iis nuda repperit in codice; idem perraro pauca tradidit auctorum nomina. C(orrector) alios libros Palatinae Anthologiae obiter, studiose alios pertractavit, corrigens priores usque ad VII 432 ad exemplar Michaelis Chartophylacis sive Archivarii, id quod ipse testatus est in altero scholio, quo instruxit epigramma supra indicatum, his verbis: *ἕως ὧδε τὰ τοῦ κυροῦ μιχαὴλ τοῦ μακαρίου περιεῖχον ἐπιγράμματα ἅτινα ἰδιοχείρως αὐτὸς ἔγραψεν ἐκ τῆς βίβλου τοῦ κεφαλᾶ*, deinde adhibens alia eiusdem Anthologiae exemplaria. C nunc per totos libros, nunc per librorum partes decimo cuique epigrammati appinxit litteras numerorum indices, plurima tradidit auctorum nomina, omissa ab A et J, multos supplevit titulos hac praesertim ratione, ut poetarum nominibus propriis adderet gentilia nomina, haud raro codicis lacunas explevit.

Ex septem his librariis silentio praeterire possum, opinor, J, S atque eum, cui debetur sylloge $\Sigma\pi$, quia operam hi dederunt iis Anthologiae partibus, ex quibus nihil lucramur in pertractandis quaestionibus iis, quae spectant Anytes artem, sed paulo copiosius dicendum videtur de quattuor reliquis scribis, ut, quatenus fieri id possit, statuamus quantum eorum quisque fide et auctoritate valeat.

Scribam A non semper accuratissimum se praebuisse iam statim inde apparet, quod interdum in eodem libro iteravit carmen, antea a semet ipso scriptum; epigramma VI 106, quod exaraverat pag. 161, repetivit post VI 255 pag. 191 ac in libro VII, quod epigramma in editionibus legitur post 34, id denuo collocavit post ep. 516 pag. 289. [1]) Eiusdem viri neglegentiae tribuendum est, quod epp. VII 183 et 184 ab eodem incipiunt hexametro, propter sententiam verborum in secundum tantum epigramma quadrante, quem versum librarii oculus aberrans a iusta sede in

---

[1]) Plures huiusmodi repetitiones memorat Stadtmuellerus (vol. I pag. VI et vol. II p. pr. pag. VII).

praecedens epigramma videtur transtulisse. Addere possum quod in anathematicorum libro A ter, ad epp. VI 112, 118, 209, falso tamquam dedicantium nomina tradidit nomina auctorum. Quum enim lemmata, vulgo desinentia in dedicatorum nomina, praemitti ab eo solerent auctorum indicibus, facillime, si forte in aliquo lemmate de donatore mentio non fiebat, inserenda vocula παρά, sequens poetae nomen perperam in dedicantis nominis locum substituebatur. Verum quod attinet ad magnum numerum ceterorum errorum, lacunarum, vitiorum, non semper facile est dictu, utrum illa sint referenda ad scribae incuriam an potius sint repetenda a depravato statu archetyporum, quibus usus est A. In libro septimo lemmata quaedam non ultra primam voculam εἰς produxit A, veluti ea, quae leguntur ad epp. 242—244, sed variis modis explicari posse hanc rem iure monet Stadtmuellerus. Namque fieri potuit ut librarius, ex carminum argumentis ipse efficiens illa lemmata, his locis incertus haeserit, quum parum intelligeret quid sibi vellent haec epigrammata, sed ab altera parte cogitare licet de archetypi lemmatis lacunosis, mutilis, neglegenter exaratis, quapropter transscribere ea non potuerit noster librarius. Id certe non est obliviscendum iuxta codicis partes mendosas multas quoque magna diligentia confectas deberi huic scribae, cuius auctoritas haud spernenda mihi videtur imprimis ad statuendos epigrammatum auctores. Quam opinionem meam confirmant editores, plerumque, sicubi inter se differunt librariorum testimonia, in titulos recipientes ea nomina, quae tradidit A. Cuius rei si quis quaerit exempla, relegare eum velim ad epp. V 7, 113, 188, 240,[1]) quae et Jacobsius et Stadtmuellerus contra

[1]) In indicandis L. V epp. usa sum numeris iisdem, quibus in Stadtmuelleri ed. sunt notata. Distant autem uno semper numero ab iis, quibus cum in vetustioribus Anth. edd. tum apud Weissh. sunt instructa, propterea quod recentissimus editor tamquam totius libri prooemium seposuit, quod antea primum dicebatur epigramma.

Planudis notitias dederunt iisdem poetis, quibus ea tribuerat A. Similiter fide nostra digna sunt pleraque ex gentilibus nominibus ab hac manu titulis appictis; quamquam raro tantum A adscripsit gentilicia, saepissime vero omisit.

Duodecim Anytes epigrammatum textus fluxit ex huius librarii calamo, nempe horum: VI 123, VI 153, VI 312, VII 202, VII 208, VII 215, VII 486, VII 490, VII 646, VII 724, IX 144, IX 314, quorum ea, quae continentur sexto libro, etiam auctoris nomine ab eo sunt instructa. Sepulcralia autem Anytes epigrammata omnia insunt in ea VII[i] libri parte, cuius carmina sine poetarum indicibus tradidit A, nec magis idem librarius ad noni libri epigramma 314 appinxit poetriae Tegeatidis nomen;[1]) uti mox videbimus, omnibus his locis auctorum nomina postea supplevit C. Semel modo lemma adscripsit A, ad ep. VI 123 his verbis: *εἰς τὸ αὐτό*, quibus ad praecedentis epigrammatis lemma: *ἀνάθημα τῇ ἀθηνᾷ* delegantur legentes. Reliqua fere carmina a librariis L vel C lemmatis sunt instructa praeter VI 153 et 312, quae prorsus iis carent.

Solum epigramma IX 745 debemus scribae B, qui et textum exaravit et poetriae nomen carmini apposuit. Idem praeterea scripsisse videtur huius epigrammatis lemma: *εἰς τὸ αὐτό*, cuius interpretationem praebet lemma praecedentis epigrammatis: *εἰς τράγον χαλκοῦν*.

A duorum scribarum, de quibus modo dixi, laudabili studio longe distat indocta temeritas Lemmatistae, qui saepe magis contaminavit quam ornavit codicem additamentis vilibus, ita ut haud iniuria Stadtmuellerus eum appellaverit „inter scribas Palatinos testem minime locupletem.“[2])

---

[1]) Nescio cui manui debeamus Anytes nomen ep. IX 144 adscriptum, quia hac in re me deficiunt Weisshaeuplii indicia palaeographica. Etenim non inest in longiore Meleagreae coronae fragm. hoc carmen.

[2]) Vol. II p. pr. pag. XXVI s.v. *Σιμμίου*.

Aliquoties hic librarius epigrammata anonyma falso certis quibusdam auctoribus vindicasse videtur. Veluti verisimile est iniuria ad carmen VII 362, quod in Pl[M] expers est tituli, appinxisse eum Philippi Thessalonicensis nomen; cuius erroris causam inde repetit Stadtmuellerus, [1]) quod proximi Philippeae coronae fragmenti (VII 364—405) titulum *Φιλίππου* in exemplari suo obvium, transtulerit L ad epigramma illud *ἀδέσποτον*. Idem scriba haud raro auctorum nominibus, ab A exaratis, praepostere subiunxit quaedam gentilia nomina, id quod ostendit titulus carminis VII 140. Quum enim apud Planudem huic epigrammati est ascriptum *'Αρχίου*, in cod. P eidem nomini, ab A profecto, perperam L addidit *Μακεδόνος*, quod gentile fluxisse videtur e praecedentis carminis lemmate, in verba *εἰς 'Αλέξανδρον τὸν Μακεδόνα* desinente. [2]) At vero etiam in peculiari suo lemmata addendi labore hic scriba crebros commisit errores atque saepe socordissimum et stultissimum se praebuit. Lacunam in lemmate Mnasalcae epigrammatis VII 242 post voculam *εἰς* ab A relictam inepte supplevit L his verbis: *τοὺς μετὰ λεωνίδου τελευτήσαντας ἐν θερμοπύλαις*. Apparet enim ex priore disticho:

*Οἵδε πάτραν πολύδακρυν ἐπ' αὐχένι δεσμὸν ἔχουσαν*
*ῥυόμενοι δνοφερὰν ἀμφεβάλοντο κόνιν·*

hoc carmen nequaquam pertinere ad Leonidam eiusque comites, quorum patria nulla dominatione afflictabatur, quo tempore ceciderunt illi contra Persas; sed fugit hoc Lemmatistam. Idem librarius non magis intellexit in epigrammate VII 244 mentionem fieri pugnae inter trecentos Argivos totidemque Lacedaemonios factae de agro Thyreatico, [3]) etsi disertis verbis dixit poeta ultimo versu: *Θυρέα δ' ἦσαν ἄεθλα δορός*, verum hic quoque sermonem esse de proelio ad

1) Vol. II. p. pr. pag. VIII et pag. 241 in notis.
2) Cf. ibidem pag. IX et pag. 91 in notis.
3) Cf. Paus. II. 38. 5.

Thermopylas commisso credidit, quamobcausam praepositioni *εἰς* ab A exaratae ascripsit: *τοὺς αὐτοὺς τριακοσίους*. Quibus si addidero quod L saepius singula carmina discerpsit in bina atque haud raro duo contraxit in unum, ut nunc nimia lemmatum copia evaserit, nunc sine eiusmodi indiciis manserint epigrammata quaedam, iam argumentorum satis erit, quae ostendant minime iniustum de hoc librario iudicium tulisse Stadtmuellerum.

Antequam autem transeam ad scribam C, de quo postremo loco disserere est in animo, restat ut indicem, quae lemmata quibus Anytes epigrammatis adnexuerit L. Ex iis, quae supra dixi, sequitur abstinuisse eum a sexti libri epigrammatis, sed inde a VII 202 adscribere lemmata coepit. Primo huic epigrammati appinxit verba: *εἰς τὸν αὐτὸν τέττιγα*, quorum ultimum postea erasit C, in eius locum substituens: *ἁρμόζει δὲ καί*, post quae addidit *εἰς ἀλεκτρυόνα*. Ad VII 208 annotavit L *εἰς ἵππον πολεμιστήριον δάμιδος*, ad eiusdem libri carmen 215 *εἰς τὸν αὐτὸν δελφῖνα ἐκβρασθέντα ὁμοίως*, ad VII 486 *εἰς φιλαινίδα κόρην πρὸ γάμου τελευτήσασαν*. Deinde lemma ei adscribendum erat ad VII 490, quod carmen incipit a verbis: *Παρθένον Ἀντιβίαν κατοδύρομαι*, quorum sensum plane perspicuum neminem fugere posse dicas. Tamen in errorem inductus est L. Statim enim sequitur Mnasalcae sepulcrale quoddam epigramma in Clio virginem factum, quocum iunxit Anytes carmen L, ita ut evaderet octastichum, cui appinxit lemma: *εἰς κλειῶ τινα παρθένον πρὸ γάμου τελευτήσασαν*. Postea autem supervenit Corrector, qui induxit quattuor priora vocabula ab Anytes epigrammate aliena atque lemma retractavit ea ratione, ut nunc recte legatur in codice: *εἰς ἀντιβίαν πρὸ γάμου τελευτήσασαν*. Idem a poetriae epigrammate separavit sequens carmen, quod instruxit auctoris nomine atque lemmate.[1]) Ad carmen

---

1) Invitum tamen C distinxisse carmina VII 490 et VII 491 indicant verba, huius ep. lemmati ab eo subiuncta, haec: *ἐγώ*

VII 646 a Lemmatista profectum est argumenti indicium hoc: *εἰς κόρην ἐρατὼ καλουμένην, παρθένον τελευτήσασαν* atque epigrammatis VII 724 argumentum idem indicavit hoc modo: *εἰς πρόαρχον ὑπὲρ τῆς πατρίδος μαχόμενον καὶ πεσόντα.* [1]

Sed videamus nunc quanti sit ducenda auctoritas Correctoris, qui post scribas A et L codici nostro operam navavit. Ex omnibus codicis P librariis nemo diu tanta premebatur invidia, quanta hic, quem acerrimis iam conviciis obruit Paulssenius in tertio tomo Jacobsianae Anthologiae editionis minoris, ubi non modo hanc de eo protulit sententiam: „admodum magnam codicis partem homo nescio quis, quem perperam vulgo correctorem appellant, dici vix potest quam male habuerit," sed etiam nefarium homuncionem atque perditissimum interpolatorem eum nuncupare non recusavit. [2] Ceterum inter recentiores quoque philologos non defuerunt, qui fidem denegaverint Correctoris notulis, auctorum praesertim nomina, ab hoc scriba exarata, non esse derivata ex antiquis fontibus perhibentes. Finslerus imprimis, in libro: „Kritische Untersuchungen zur Geschichte der griechischen Anthologie" crimini dedit Correctori, quod suo Marte multa poetarum nomina inseruerit; [3] quae opinio multis viris doctis nequaquam absurda visa est. Solent autem ii, ut eam defendant, hoc niti argumento in codice

---

*νομίζω ὅτι ἕν ἐστιν ἐπίγραμμα τὸ "παρθένον ἀντιβίαν" καὶ τὸ "αἶ αἶ παρθενίας ὀλοόφρονος"* atque praeterea computatio epp. L. VII, in qua pro uno numeravit duo haec carmina. Cf. Stadtm. annot. ad ep. VII 497.

1) Ep. IX 144 lemma: *εἰς τὸ αὐτὸ εἰς ἀφροδίτης ἄγαλμα ἑστῶτος ἐπ' αἰγιαλοῦ καὶ ἀποσκοποῦντος πρὸς τὸ πέλαγος* a quonam scriba sit conditum aut fortasse amplificatum dicere non habeo, nec magis definire ausim, quae manus exaraverit ep. IX 314 lemma: *εἰς ἑρμῆν ἐν τριόδῳ παρ' αἰγιαλῷ ἱστάμενον ὁμοίως.*

2) Vid. pag. XIII prooemii, quod Paulssenius praemisit collationi suae apogr. Gothani cum cod. P in tomo III Jacobsii ed. minoris.

3) Cf. Weisshaeupl. pag. 33 ann. 1. atque A. Hauvette. De l'authenticité des épigrammes de Simonide pag. 25.

P magnum numerum epigrammatum dari Simonidi, quae ab eo poeta abiudicanda esse hodie constet. Qui notissimum scripsit librum de Simonideorum carminum fide, Hauvettium dico, et ipse inclinat in Finsleri sententiam, ut inde apparet, quod admodum dubitanter ad Cephalanam Anthologiam refert ea auctorum nomina, quae solus testatus est C atque tunc demum superesse ipsius Cephalae notitias putat, si inter se conveniant testimonia scribae A, Correctoris, Planudis.[1])

Obiter et paucis verbis Finsleri opinionem impugnavit Weisshaeuplius[2]) dicens se quidem iudice multo minorem numerum propriorum nominum coniectura esse assecutum Correctorem quam crediderit ille. At uberiore commentatione huius librarii auctoritatem defendit Reitzensteinius pagg. 107 sqq., quo loco aggressus est Kaibelium, qui et ipse tamquam incerta condemnaverat omnia auctorum nomina a C profecta. Iam statim haud illepide dicit hic Correctoris patronus, si pro certo constaret omnino esse spernenda huius librarii indicia, desperandum nobis fore de conscribenda Graeci epigrammatis historia; saepe enim et quidem in praecipuis codicis partibus, quod ad auctorum nomina attineat, totos nos dependere a Correctoris notitiis. Porro in hanc sententiam disputat probabiliter iam perversis poetarum indicibus inquinatos fuisse fontes, quos consuluerint Byzantini librarii, ita ut plerumque non per hos, verum per multo antiquiores auctores, eosque Alexandrinos, steterit, si iniuria in Anthologia Graeca epigrammata quaedam vindicentur Simonidi.

Id imprimis mihi placet in Reitzensteinii disputatione, quod, ut invidia liberaret Correctorem, usus est hac argumentatione passim in codice P apparere eorum poetarum, quorum carmina facilius quam Simonidis dignoscantur,

---

1) Cf. Hauvettius l.l. pag. 24.

2) l.l. in ann. 20.

veluti Callimachi vel Asclepiadis, nominibus abusum non esse Correctorem neque ullam causam excogitari posse videri, cur Simonidis potissimum nomen saepius ultro inseruerit C.

Quamdiu autem deerat Anthologiae Graecae editio, in qua accuratissime distinguerentur codicis P variae librariorum manus, certo carebant fundamento disquisitiones de epigrammatis Simonidis nomine inscriptis in Palatina Anthologia. Hodie demum, postquam Stadtmuellerus in lucem edidit libros I—VII (quibus continetur longe maior pars omnium Simonideorum epigrammatum) adiectis optimis utilissimisque notis, accurate distinguere quis potest, quibus locis solus Corrector tradiderit Simonidis nomen, quae vero carmina iam a vetustiore manu tributa fuerint Ceo poetae. Errores enim non raro inde sunt orti, quod hic illic perspicuitatis gratia retractavit C auctorum nomina ab A scripta, qua de causa saepe fugit editores prima lectio dederuntque Correctori tamquam propria additamenta, quae vindicanda erant scribae A. Hinc Hauvettius, cui praesto fuit solum primum volumen Stadtmuelleri editionis, iure monuit legentes, [1]) se ultra sextum librum omnes errores cavere non posse, quod non semper sufficerent Weisshaeuplii notitiae palaeographicae, e quibus inde a septimo libro sibi esset hauriendum. Cuius fontis ut demonstraret vitiosam condicionem, relegavit nos ad titulum ep. VI 50, qui apud Weisshaeuplium audit sic: *Σιμωνίδου* C in rasura; si autem evolverit quis Stadtmuelleri editionem, videbit Simonidis nomen illo loco iam ab A exaratum esse, ita tamen ut per duas lineas distenderentur vocis litterae, atque Correctorem, cum retractaret titulum, nihil egisse nisi ut tota vox continenter collocaretur. Ego, quae ad manus habeam et alterius Stadtmuelleri voluminis partem priorem, addere

---

1) pag. 23 infra.

possum plane eandem rem obtinuisse in ep. VII 25 titulo. Librarii A verba: *εἰς τὸν αὐτὸν τοῦ αὐτοῦ* sic transposuit C, ut nunc legatur in codice *τοῦ αὐτοῦ εἰς τὸν αὐτόν* fecitque C eam mutationem, ut facilius intelligeretur Lemmatistae additamentum: *ἀνακρέοντα τὸν τήιον.* Sed quum huius quoque epigrammatis titulus vitiose apud Weisshaeuplium legatur, nempe sic: „*Τοῦ αὐτοῦ* Corrector in rasura", non mirandum est, quod Hauvettius dubitat an non ad Cephalanam Anthologiam sit referendum Simonidis nomen huic carmini appictum. Attamen, quia non magis hoc loco quam ad ep. VI 50 de se finxit auctoris nomen C, hodie compertum nobis est his duobus saltem locis integram esse huius scribae fidem neque ullam in eum cadere suspicionem. Quo loco [1]) Stadtmuellerus generale fert iudicium de scribarum A et C bonis malisque artibus, diserte indicat nequaquam omnia, quae commiserint, vitia esse referenda ad ipsorum indolem arbitriumque, sed praecipuam etiam rationem esse habendam diversitatis fontium et archetyporum, e quibus fluxerit Palatina Anthologia.

Supervacaneum autem mihi non videtur accuratius distinguere, quibus in rebus pluris, ubi minoris sit ducenda Correctoris auctoritas. Weisshaeuplio et Reitzensteinio concedere velim in adscribendis poetarum nominibus saepius verum tradidisse quam erravisse Correctorem, sicut etiam in constituendis auctoribus eorum epigrammatum, quae a singulis tantum testibus nec communi consensu vindicantur Anytae, bis modo recessi a Correctoris testimoniis idque ideo, quod gravibus cogebar causis, plerumque vero feci cum eo scriba. [2]) Ab altera autem parte persaepe fide indigna mihi videntur nomina gentilia a C propriis nominibus adnexa atque in universum omnes eae notitiae, quae spectant geographiam, cuius disciplinae

---

1) pag. LXVI in p. pr. vol. II.

2) Cf. infra Cap. III § 3.

imperitissimus fuisse mihi videtur C. Iam primo Capite, occasione oblata, perversa quaedam nomina gentilia, quae fluxerunt ex Correctoris calamo, indicavi. Insignem geographiae inscitiam, quae dedecori est huic scribae, optime quoque arguunt scholia, quibus instruxit lemmata, a L adiecta epp. VII 24 et 25. Ad hoc carmen de urbe Teo L annotaverat: *ἔστιν δ' ἡ πόλις αὕτη οὐχ ἡ ποντικὴ ἀλλ' ἡ πρὸς ἔφεσον κειμένη μία τῶν ἰάδων πόλεων*, quibus verbis explicandi nimirum causa C addidit: *ὅτι νησός ἐστιν ἡ τέως μία τῶν κυκλάδων.* Pariter ep. VII 24 lemmati: *εἰς ἀνακρέοντα τὸν τήιον ποιητήν · σιμωνίδου* C adnexuit ridiculum additamentum: *ὅτι καὶ αὐτὸς σιμωνίδης τήιος ἦν ὅθεν καὶ ἀνακρέων.*

Obiter versanti codicem P litterae quoque numerorum indices, quibus eroticorum et anathematicorum decimum quodque epigramma notavit C et instruxit priorem partem septimi libri, satis neglegenter additae esse fortasse videbuntur, quum non semper quadrent in hodiernam epigrammatum illorum computationem; veluti in quinto libro litteram *ρ* non centesimo sed sequenti demum epigrammati appinxit C. In praefatione primi vol. Stadtmuellerus talia vitio verterat Correctori, dicens in calculis nonnumquam eum erravisse, sed ad finem perducta parte priore alterius vol. sententiam mutasse videtur, nam certe in huius prolegomenis fecit quod potuit, ut demonstraret Correctorem, quotienscumque recedat ab ea computatione, quae nobis iusta videtur, certis id facere de causis eumque nequaquam oscitanter egisse in hac laboris sui parte. Denique, etsi negari non potest semel iterumque errores non satis cavisse Correctorem,[1]) tamen in hanc adducor sententiam, ut putem gaudere nos oportere, quod hic quoque librarius nostro codici operam navaverit. Locos omnes, quos sanavit C, quin etiam

---

1) Cf. Stadtm. ann. pag. XI p. pr. vol. II.

eorum magnam partem tractare longum est, quamobrem sufficiat paucis exemplis illustrare sententiam meam, quibus exemplis appareat saepe quam maximi momenti esse huius scribae correctiones et notitias. Huius opera factum est, ut innotuerint epp. VII 2^b et 254^b, quae omiserat A nec servavit Anth. Planudea; deinde in ep. VI 18 restituit C pristinum versuum ordinem, quem perturbaverat A permutatis primo et tertio versibus; tum saepissime correxit perversas carminum divisiones a L profectas, veluti epp. VII 437, 487, 491 (de quo vid. pag. 61), 647 separavit a praecedentibus carminibus, quibuscum perperam ea iunxerat L atque suis lemmatis instruxit, epigrammata vero 577 et 728, a L in binas partes discerpta, in pristinum restituit statum iunctis eorum partibus et erasis perversis lemmatis olim ab illo scriba adiectis; porro nonnullis epigrammatis, quae alienis libris inseruerat A, suum assignavit locum, veluti epigramma dedicatorium VII 53, quod perperam inter sepulcralia exaraverat A, iure a septimo libro abiudicavit, denuo id scribens cod. pag. 207 ad anathematica extrema.

Ex Anytes carminibus ep. VII 486, quod in textu scripserat A cod. pag. 284, iteravit C in margine superiore pag. 257. Etenim hac pagina continetur Aeschrionis carmen choliambicum (VII 345) in Philaenidem Leucadiam, mulierem famosam,[1]) cui carmini in exemplari Michaelis Archivarii adnexum fuisse Dioscoridis ep. VII 450, in quo eiusdem mulieris fit mentio, testatur C his verbis (in margine inferiore paginae 256, ubi Dioscoridis epigramma repetivit, ut in codice P arcte coniungeretur cum Aeschrionis choliambis): *νομίζω ὅτι δισσῶς κεῖται τὸ ἐπίγραμμα · πλὴν ἐν τῇ τάξει τῶν ἐπιγραμμάτων τοῦ κυροῦ μιχαὴλ οὕτως κεῖται συνημ-*

---

[1]) Memorat eam Ath. 220 f. 335 c., qui hoc loco tradit ep. id, quod in Anth. Palatina est VII 345.

μέτρον μετὰ τοῦ ἰαμβικοῦ.[1]) Praeterea autem duo epigrammata in cognomines mulieres (nequaquam tamen in Leucadiam illam Philaenidem) alterum Anytes VII 486, alterum Tymnae poetae VII 477 pariter iteravit C cod. pag. 257, verum nos latet utrum, cum et duo haec posteriora poneret iuxta Aeschrionis choliambos, eiusdem Archivarii sit secutus exemplum an suo arbitrio id fecerit C.

Ad omnia sepulcralia Anytes epigrammata poetriae nomen scripsit C, bis sine ullo additamento, ad 202 et 490; semel usus est titulo: ἀνύτης λυρικῆς (ad 208), quum ceteris locis omnibus (ad epp. 215, 486, 646, 724) nomini proprio adiunxit adiectivum μελοποιοῦ. Epigramma IX 314 instruxit verbis τῆς αὐτῆς, quibus ad praecedens carmen, cui adiunxerat titulum: ἀνύτης μελοποιοῦ, remisit legentes.

Uti supra iam vidimus, Anytes epigrammati VII 490 C iustum lemma reddidit, etsi potius invitus quam sponte retractasse veterem lectionem videtur (qua de re cf. ann. 1. pag. 61); unde denuo efficias Correctorem plerumque fideliter tradidisse, quae invenerit in Michaelis Archivarii aliorumve exemplaribus a se adhibitis, quorum codicum lectionibus posthabuerit suas opiniones. Infeliciter retractasse mihi videtur C lemma ep. VII 202 verbis εἰς τὸν αὐτόν (scilicet τέττιγα), a Lemmatista profectis, adiciens: ἁρμόζει δὲ καὶ εἰς ἀλεκτρυόνα. Pristinum enim lemma recte se habuisse colligas cum ex tota carminis indole tum ex argumento similis epigrammatis numero 200 instructi, quod codices vindicant Niciae, qui poeta carminum suorum argumenta fideliter ab Anytes poesi depromere solet.

Duo poetriae Tegeatidis epigrammata, VII 202 et VII 486, litteras numerorum indices appictas habent; huic addidit C numerum ϙ (i. e. υϙ = 490), illi σ (200). Prior horum numerorum a C translatus est ex Michaelis Archi-

---

1) Cf. Stadtm. ed. pag. XV. p. pr. vol. II; vid. etiam, quae hac de re legantur in notis ad ep. VII 450 in eadem ed.

varii exemplari, quod, uti supra memoravi, adhibuit usque ad ep. VII 432; deinde in corrigendis epigrammatis 433—497 usus est altero codice, pariter decadum numeris instructo, e quo fluxit numerus ad Anytes ep. VII 486 appictus. Sed ignoramus qui fuerit secundus ille codex, quoniam ad epigramma 497 nihil annotavit C nisi: *ἕως ὧδε ἀντεβλήθη* ac ne dicere quidem habemus, utrum consulto reticuerit scriptoris nomen Corrector an ipse quoque nesciverit.

Causas autem, cur in subducenda epigrammatum septimi libri ratione saepe pervenerit hic scriba ad aliam summam quam quae nobis iusta videtur (cuius rei dant documentum numeri Anytes carminibus adscripti), sagaciter rimatus est Stadtmuellerus, ad cuius argumentationem hac de re, pag. XIII alterius voluminis obviam, delegare velim legentes.

Postremo ad constituendum textum Anytes epigrammatum multum adiuvamur notitiis Correctoris, cuius auctoritas praesertim in quaestionibus orthographiam vel prosodiam spectantibus non parvi ducenda mihi videtur. Attamen talia infra suo loco tractare satius erit.

Recensis codicis P diversis manibus iam videamus, quibus e fontibus fluxerit ingens eius epigrammatum multitudo. Anthologiae Palatinae nucleum esse profectum a Constantino Cephala compertum nobis est ex variis notitiis, quas in codice exaraverunt scribae, veluti L pag. 81 in margine exteriore ad prooemium Anthologiae Meleagri scripsit haec: *οὗτος ὁ μελέαγρος φοίνιξ ἦν τῶν ἀπὸ παλαιστίνης πόλεων. ἐποίησεν δὲ τὸν θαυμάσιον τουτονὶ τῶν ἐπιγραμμάτων στέφανον· συνέταξεν δὲ αὐτὰ κατὰ στοιχεῖον, ἀλλὰ κωνσταντῖνος ὁ ἐπονομαζόμενος κεφαλᾶς συνέχεεν αὐτὰ ἀφορίσας εἰς κεφάλαια διάφορα, ἤγουν ἐρωτικὰ ἰδίως καὶ ἀναθεματικὰ καὶ ἐπιτύμβια καὶ ἐπιδεικτικά, ὡς νῦν ὑποτέτακται ἐν τῷ παρόντι πτυκτίῳ.* Similiter C memoravit Cephalam in scholio ep. VII 432 lemmati subiecto, quod supra (pag. 57) totum ex-

scripsi. Recurrit Cephalae nomen in titulo septimi libri: *ἀρχὴ τῶν ἐπιτυμβίων ἐπιγραμμάτων, ὧν ἐσχεδίασεν ὁ κύρις κωνσταντῖνος ὁ κεφαλᾶς, ὁ μακάριος καὶ ἀείμνηστος καὶ τριπόθητος ἄνθρωπος.* cuius tituli partem priorem usque ad vocem *ἐσχεδίασεν* exaravit L, sequentia verba addidit C, erasis ultimis Lemmatistae tituli verbis. De locis duobus, ubi una cum Gregorio Magistro memoratur Cephalas (ad epp. VII 334 et 429), mox erit videndum. Constat pristinam Cephalanam Anthologiam postea multis additamentis ampliatam esse, ut communi consensu a Constantino abiudicentur libri I–III itemque XIII–XV. Quin nonnulli viri docti longius etiam progressi et ex libris IV—XII alius alium a Constantino non esse profectum contenderunt, id quod l.l. monet Susemihlius. Sed utcumque res se habet, ii certe libri, quibus continentur Anytes epigrammata, suntque illi VI, VII, IX, procul dubio iam attinuerunt ad Cephalae florilegium, ut apparet tam ex scholio modo a me transscripto, quo instruxit L cod. pag. 81, quam ex prooemiis, quae ipse Constantinus libris indicatis praemisit.[1])

[1]) Scriba A post L. V. ultimum ep. exaravit Constantini Cephalae prooemium L. VI hoc: *ἀρχὴ μὲν ἡμῖν, ὥς φησιν, ἡ τῶν ἐρωτικῶν ἐπιγραμμάτων ἔκθεσις γεγένηται, σκοπὸν ἔχουσα τὴν σὴν ἐξάψαι διάνοιαν. εἰ τοίνυν γεγένηται τὸ προτεθέν, ἐπὶ τὴν τῶν ἀναθεματικῶν ἀνάγνωσιν μετάβηθι· εἴη δὲ καὶ ἐπ' αὐτῆς ἡμῖν ἀνυσθῆναι τὸ σπουδαζόμενον.* (Cf. pag. 225 sq. vol. I Stadtm. ed.) Eiusdem librarii opera L. VII servatum est prooemium hoc: *καὶ ὁ τῶν ἀναθηματικῶν ἡμῖν ἐπιγραμμάτων χαρακτὴρ πεπλήρωται ἱκανῶς ἔχων, ὡς ἐμαυτὸν πείθω· μετιτέον οὖν ἐφ' ἕτερον οὐκ ἄχρηστον οὐδ' ἀνωφελῆ λαληθῆναί τε καὶ πρὸς πάθος ἀγαγεῖν τοὺς ἐντυγχάνοντας δυνάμενον. ἔστι δὲ οὗτος ὁ τῶν ἐπιτυμβίων ἀρχὴν ἔχων τοιάνδε· ἐπιτύμβια εἰς τὸν ὅμηρον.* Hanc Cephalae praefationem exhibet Stadtm. ed. pag. 1. p. pr. vol. II. Libri IX prooemium, quod est huiusmodi: *οὐδὲ τοῖς παλαιοῖς ἠμέληται τὸ ἐπιδεικτικὸν εἶδος, ἀλλ' ἔστι καὶ ἐν τοῖς ἐπιγράμμασιν εὑρεῖν καὶ ἑρμηνείας ἐπίδειξιν καὶ πραγμάτων γενομένων ὄντως ἢ ὡς γενομένων ἀφήγησιν*, expressum est pag. 451 tomi III Jacobsianae Anth. ed.

Cum conficeret anthologiam suam Constantinus Cephalas ad manus habuit inscriptiones eas, quas in itineribus, per Thessaliam, Graeciam, Macedoniam, Asiam factis, ex ipsis lapidibus descripserat Gregorius ille, quem, ut distinguamus a viris cognominibus, appellare solemus Magistrum, quia Byzantii praefuit grammaticorum scholae. Ex epigrammatum copiis, ab hoc collectis, carmina quaedam pervenisse in Constantini syllogen testatur L lemmati ep. VII 327 addens haec verba: *μετεγράφη παρὰ γρηγορίου τοῦ μακαρίτου διδασκάλου ἐξ αὐτοῦ τοῦ λάρνακος*;[1]) idem exarato lemmate ep. VII 334 perrexit sic: *ἐγράφη δὲ καὶ τοῦτο ὁμοίως παρὰ τοῦ μακαρίτου γρηγορίου τοῦ καμψικοῦ.*[2]) *ὅθεν αὐτὸ καὶ ὁ κεφαλᾶς ἐν τοῖς ἐπιγράμμασιν ἔταξεν.* Quae autem ratio inter Gregorium illum et Cephalam intercesserit, docent Correctoris verba, ad ep. VII 429 appicta: *τοῦτο τὸ ἐπίγραμμα ὁ κεφαλᾶς προεβάλετο ἐν τῇ σχολῇ τῆς νέας ἐκκλησίας ἐπὶ τοῦ μακαρίου γρηγορίου τοῦ μαγίστορος.*

Septimi libri non tantum epp. 327 et 334, quae a Gregorio e lapidibus descripta esse diserte dicit L, sed omnem fere seriem epigrammatum *ἀδεσπότων*, quae incipit a 327 et continuatur usque ad 340, e Gregorii sylloge pervenisse in Cephalanam Anthologiam vidit Weisshaeuplius, qui praeterea censet ad eiusdem Gregorii curam esse referendum quod ad inscriptiones quasdam, certis auctoribus tributas, in codice sit annotatum, quibus in regionibus sint repertae. Negat textum quoque horum carminum manavisse e Gregorii notitiis, quod veris inscriptionibus adiecta non fuerint auctorum nomina, sed existimat talia epigrammata e vetustioribus anthologiis a Cephala desumpta, unde poetarum

---

1) Eadem manus postmodo subst. *λάρνακος* suum reddidit genus, in marginis ora pro *ἐξ αὐτοῦ τοῦ* scribens *ἐξ αὐτῆς τῆς*.

2) Secundum Stadtmuelleri interpretationem hoc sibi vult vocabulum *Καμψικοῦ* ex urbe Campsa, in Crossaea regione sita, (quam memorat Herod. VII 123) ortum fuisse Gregorium Magistrum.

nomina iis accesserint, postea aut a Gregorio aut fortasse ab ipso Constantino in lapidibus insculpta esse reperta atque tunc demum lemmatis regiones indicantibus esse instructa a Byzantino compilatore. Veluti VII 657 ex Meleagrea corona in Cephalanam Anthologiam pervenisse arbitratur, loci tamen indicio destitutum, atque lemma: *νομίζω δὲ ὅτι ἐν Ἐφέσῳ κεῖται ταῦτα* postero tempore additum esse, postquam Ephesi agnoverit Leonidae hoc epigramma Gregorius. Cum Weisshaeuplio fere consentit Stadtmuellerus, nisi quod paulo plures etiam Palatinae Anthologiae particulas per eiusdem industriam servatas nobis esse iudicat; nam censet praeter carmina VII 327—340 non tantum titulos nonnullorum ex huius libri epigrammatis 656—677, sed versus quoque derivatos esse e sylloge Gregorii, quem Cephalae magistrum inscriptionibus, in itineribus collectis, adiecisse alia eiusmodi carmina, in variorum scriptorum libris epigrammatumque syllogis obvia, suspicatur.

Sed iuxta numerum satis parvum eorum epigrammatum, quae e Gregorii Anthologia transiere in Cephalanam, adest ingens carminum multitudo, quam ex aliis hausit fontibus Constantinus. Hic non attinet multis verbis disserere, qua ratione cognoverit Cephalas epigrammata ea, quae, ut in cod. P, ita in Diogenis Laertii Philosophorum Vitis insunt. Weisshaeuplius diligenter exposuit VII 83—133 omnia, solis paenultimo et antepaenultimo exceptis, etiam obvenire in Diogenis libro indicato et quidem fere eodem ordine, quo leguntur in Anthologia Palatina. Nec tamen credit Cephalam ipsum Diogenem ob oculos habuisse, sed potius per medium fontem, eumque excerptum e Philosophorum Vitis, ascivisse haec epigrammata. Unde autem huic septimi libri parti accesserint carmina 131 sq., quae in Vitis desunt, diiudicare nolit, etsi sentit fieri potuisse, ut in ea Vitarum editione, e qua manavit excerptum a Cephala usurpatum, legerentur etiam, postea vero e

Diogenis opere evanuerint. Quoniam igitur totam epigrammatum 83—133 seriem ad Vitas referre minime recusat, invehitur in Correctorem, quippe qui in pag. 222 margine superiore annotaverit: *ταῦτα τὰ ἐπιγράμματα ἐκ τῆς παμμέτρου ἐξελέγησαν λαερτίου διογένους*, quam notulam postea amplificavit his verbis: *ἐκ τῆς βίβλου τῆς ἐπιγραφομένης βίων φιλοσόφων.* Correctoris hanc notitiam sic interpretatur Weisshaeuplius, tamquam falso pro uno eodemque opere et Pammetrum et Vitas habuerit C, unde sit orta perversa illa Pammetri mentio, omnino nobis reicienda. Maxime autem mihi arridet lenissima mutatio, qua sanavit verba laudata Stadtmuellerus atque fidem Correctoris hoc quoque loco integram reddidit. Etenim inter scholii utramque partem inserta vocula *καί* hunc ex his verbis sensum elicuit, ut e Pammetro sint derivata epp. 131 et 132, reliqua vero e Vitis. Quod attinet ad cetera epigrammata et apud Diogenem et in codice P obvia, necesse non videtur quaeramus, quae ex iis sumpta esse potuerint ex ipso Diogene, quae necessario aliunde accesserint Cephalanae Anthologiae; qua de re qui plura resciscere cupit, inspiciat Stadtmuelleri argumentationem, sicut continetur pag. LXIII sq. vol. II.

Syllogen praeterea Diogenianeam,[1]) sub imperatore Hadriano a Diogeniano confectam, quae inter alia suppeditavit ep. VI 331 sq. itemque Rufini, de cuius aetate adhuc sub iudice lis est, amatoriorum epigrammatum syllogen, e qua fluxerunt permulta carmina in quinti libri prima parte (epp. 1—102) obvia, alios etiam Cephalae fontes silentio praetereo. Paulo plura tamen erunt dicenda de tribus epigrammatum florilegiis, e quibus passim magnae partes Cephalanae Anthologiae sunt desumptae, coronam dico Meleagream, Philippi Thessalonicensis coronam, cyclum

---

1) Cf. Suid. s.v. *Διογενειανός*.

Agathiae. Antiquissimam harum syllogarum circa annum 80 a. Chr. n. confecit Meleager Gadarenus[1]), qui ipse in prooemio recensuit praecipuos ex poetis, quorum recepit carmina, in qua enumeratione, uti supra iam vidimus, fecit initium ab Anyte. Itaque non magis Constantino Cephalae quam huius Meleagri curae et diligentiae tribui oportet, quod Anytes epigrammatum tantus numerus tulit aetatem, ut etiamnunc Tegeatidis poetriae artem sat bene cogitatione percipere possimus; porro bene factum quod multorum aequalium poetarum, qui simili eminuerunt arte, veluti Niciae, Myrus, Mnasalcae, aliorum, simul servavit Meleager complura carmina, quorum reliquias exhibet Palatina Anthologia, ita ut non per se stent Anytes epigrammata in historia Graecarum litterarum, sed ex comparatione cum similibus epigrammatis accurate colligi liceat, quanti sit facienda haec poesis. Uti mox videbimus, pleraque Anytes carmina in codice P ita sunt collocata, ut cum praecedentibus vel sequentibus epigrammatis longiora efficiant Meleagreae coronae fragmenta. Quo autem ordine sese excipiant cuiusque fragmenti varia carmina statim dicam, postquam praemisero quaedam de secunda epigrammatum corona.

Meleagri enim exemplum epigrammata colligendi postea secutus est Philippus Thessalonicensis, [2]) ut ipse testatur initio prooemii, quod coronae suae praefixit, dicens:

*Ἄνθεά σοι δρέψας Ἑλικώνια, καὶ κλυτοδένδρου*
*Πιερίης κείρας πρωτοφύτους κάλυκας,*

---

1) De Meleagro in margine exteriore pag. 82 haec tradidit L: γαδαρηνος ἦν, ὡς ἐν τοῖς ἔμπροσθεν (VII 417—419, ut vidit Jacobsius) αὐτος ἑαυτοῦ ἐμνημόνευσεν· ἤκμασεν ἐπι σελεύκου τοῦ ἐσχάτου. Cf. Stadtm. vol. I. pag. 69.

2) Thessalonica ortum eum esse testatur L ad Philippi prooemium annotans: ἕτερος στέφανος Φιλίππου θεσσαλονικέως, ὃν ἐποίησεν κατα μίμησιν μελεάγρου. συνῆξεν δὲ καὶ αὐτὸς ἀπὸ τῶν ἐμφερομένων ποιητῶν· ἐξ ἀντιπάτρου, κριναγόρου. . . . και αὐτοῦ Φιλίππου· e. q. s. Cf. Stadtm. vol. I. pag. 72.

καὶ σελίδος νεαρῆς θερίσας στάχυν, ἀντανέπλεξα
τοῖς Μελεαγρείοις ὡς ἴκελον στεφάνοις.
ἀλλὰ παλαιοτέρων εἰδὼς κλέος, ἐσθλὲ Κάμιλλε,
γνῶθι καὶ ὁπλοτέρων τὴν ὀλιγοστιχίην.

Itaque in florilegium suum recepit epigrammata poetarum recentiorum quam fuerant ii, quorum ars suppeditaverat carmina Meleagreae coronae, eorum imprimis, qui floruerant Ciceroniana aetate vel primis regnantibus imperatoribus; ipse rursus in prooemio praecipuos ex illis poetis percensuit. In ordinandis variorum auctorum epigrammatis Philippus rationem non habuit argumentorum, sed ductus est ordine alphabetico, quem ad observandum solam respexit initialem litteram primae cuiusque epigrammatis vocis, ut v. c. apparet in epp. V. 111—114, quorum primum et ultimum, incipientia utrumque a vocabulo: ἠράσθην separantur epigrammate 112, quod ab initio exhibet vocem ἠράσθης atque sequenti epigrammate, cuius primi versus pars prior sic audit: ἡ χαλεπὴ κατὰ πάντα Φιλίστιον. Multa Philippeae coronae fragmenta, postquam transierunt in Cephalanam Anthologiam, servaverunt ordinem illum elementarium, veluti totum fere Graecum alphabet exhibent initiales litterae in magno huius syllogae fragmento, quod continetur nono libro. Incipit illud ab ep. 215, cuius primum vocabulum est adverbium αἰεί, et continuatur usque ad carmen 312, quod similiter ac praecedens habet initialem litteram ω; reliquae quoque litterae, inter α et ω intercedentes, vulgari ordine sese excipiunt in hoc fragmento, exceptis quattuor iisque ξ, μ, ν, ρ. Sedecim litterarum seriem nanciscimur in epp. V. 103 – 132, et ipsis ex Philippi corona depromptis, atque ad eandem summam ducit computatio in epp. VII 364—405 inita. Carminum dispositionem secundum alphabeticum ordinem non ipsum excogitasse Philippum Thessalonicensem, verum hac quoque in re Meleagri exemplum eum habuisse ob oculos, cognoscimus

per Lemmatistae annotationem Meleagri prooemio appictam, in qua media legimus: συνέταξεν δὲ αὐτὰ (scilicet τὰ ἐπιγράμματα) κατὰ στοιχεῖον. Quoniam autem antiquioris illius anthologiae reliquiae in codice P magis sunt disturbatae quam Philippeae coronae, raro tantum etiamnunc pristinus ordo agnoscitur in longioribus fragmentis; at revera in ipso Meleagri florilegio valuisse eandem regulam, quam observavit Philippus, abunde ostendunt minores carminum series ab eadem semper littera incipientium, veluti epigrammatum VII 265—268, quorum primae deinceps voces sunt hae: ναυηγοῦ, ναυηγοῦ, ναυτίλοι, ναυηγόν.[1]) Saepissime tamen in indagandis Meleagreae syllogae fragmentis nos deficit ordinis elementarii subsidium, ita ut solis ducamur auctorum nominibus in prooemio enumeratis; contra utrumque indicium vulgo adest ad agnoscendas Philippeae coronae reliquias. Aspernatus est ordinem alphabeticum Agathias, recentissimae e tribus anthologiis auctor, qui altera parte sexti saeculi confecit epigrammatum cyclum, in septem libros divisum. Itaque quum distingueret carminum varia genera, veluti epigrammata dedicatoria, sepulcralia, amatoria, anthologiae eius eadem fere evasit dispositio atque postea in sua ordinanda usus est Cephalas. Hoc autem simile habet Cyclus cum Meleagrea et Philippea coronis, quod suam quisque ipsius artem alienis carminibus inseruerunt anthologiarum auctores, id quod ipsi in prooemiis testantur Meleager et Agathias;[2]) de Philippo Thessalonicensi eandem rem testificari Lemmatistam docet ann. 2. pag. 74. Ex omnibus hisce apparet non deesse indicia,

---

[1]) Vid. etiam Meleagreae coronae fragm. VII 194—203, cuius epp. tria priora exhibent initialem litteram α, quinque vero posteriora ο, quippe quorum primum incipiat ab ὄρνεον, reliqua autem ab adverbio οὐκέτι.

[2]) Meleager, ad finem perducto poetarum catalogo, Anth. Gr. IV. 1. 55. sq. de se ipse dicit: τοῖς δ'ἅμα Μούσης | καὶ σφετέρης ἔτι που πρώιμα λευκόια.

quibus ducamur ad indaganda fragmenta trium illarum anthologiarum, quas prae ceteris fontibus adhibuit Constantinus Cephalas. Nil mirum igitur quod iam dudum conati sunt viri docti quam maximum numerum talium fragmentorum ex codice P expiscari. Anno 1827 v. d. Passow in libro, qui erat inscriptus: „Quaestio de vestigiis coronarum Meleagri et Philippi in Anthologia Constantini Cephalae" praeter alia multa demonstravit octo Anytes epigrammata in cod. P sic esse collocata, ut cum praecedentibus vel sequentibus carminibus efficiant fragmenta longiora ex Meleagrea corona profecta. Namque epp. VI 123 et 153 dedit Meleagreo fragmento VI 109—163, VI 312 fragmento VI 262—313, VII 202 fragm. VII 194—203, VII 486 et 490 fragm. VII 406—529, VII 646 fragm. VII 646—665, IX 314 fragm. IX 313—338.

Dein inter annos 1845—1847 in Museo Rhenano quaesivit de fontibus et ordine Anthologiae Cephalanae Weigandius, qui duo Anytes epigrammata, a Passovio silentio praeterita, eaque VII 208 et VII 724, locum assignavit in longioribus Meleagreae coronae fragmentis; illud enim attinere credidit ad fragm. VII 207—212, hoc ad fragm. VII 707—740.[1]) Non solum autem versatus est in Meleagreae et Philippeae coronarum frustis, sed primus etiam quaesivit de Agathiae Cycli reliquiis.

Agathias vs. 21—24 primi prooemii cantat:

ἐπεὶ γὰρ οὐκ ἔνεστιν ἐξ ἐμοῦ μόνου
ὑμᾶς μεταλαβεῖν, ἄνδρες, ἀξίας τροφῆς,
πολλοὺς ἔπεισα συλλαβεῖν μοι τοῦ πόνου,
καὶ συγκαταβαλεῖν καὶ συνεστιᾶν πλέον.

at vs. 35—37 pergit sic:

θαρρῶν γὰρ αὐτοῖς λιτὸν οἴκοθεν μέρος
καὐτὸς παρέμιξα, τοῦ δοκεῖν μὴ παντελῶς
ξένος τις εἶναι τῶν ὑπ' ἐμοῦ συνηγμένων.

[1]) Praeterea fragm. illud, quo continetur Anytes ep. VII 202, quod ab ep. 194 incipere existimaverat Passovius, auxit Weigandius additis 192 sq.

Porro Benndorfius, quum scriberet „de Anthologiae Graecae epigrammatis, quae ad artem spectant", fragmentis a Passovio et Weigandio collectis nova quaedam addidit.

Quae autem fragmenta principum Cephalanae Anthologiae fontium agnovisse sibi erant visi ei, qui antea huic rei studuerant, eorum omnium conspectum dedit Weisshaeuplius in parte priore commentationis suae de Graecae Anthologiae epigrammatis sepulcralibus. Sed superiorum inquisitionum eventu minime contentus semel iterumque impiger hic investigator enuntiatis vetustiorum exploratorum opposuit suas ipsius opiniones, quas plerumque aptis argumentis confirmavit. Felix imprimis fuit, cum institueret comparationem inter duas longiores epigrammatum series, quarum altera continetur sexto Anth. Palatinae libro, septimo altera. Quoniam in ipsas illas series, quarum anterior complectitur epp. VI 87—163, posterior VII 364—546, incidunt quattuor Anytes epigrammata (VI 123,. 153. VII 486, 490), non recusavi hoc loco paucis exponere, quid de duarum illarum Anthologiae nostrae partium compositione disputaverit Weisshaeuplius. Sexti libri partem indicatam discerpsit in has sex particulas: 87—108, 109—133, 134—143, 144—145, 146—150, 151—163, quarum prima efficit fragmentum coronae Philippeae, altera Meleagreorum poetarum exhibet carmina; epigrammata tertiae particulae omnia Anacreontis nomine sunt inscripta, 144 sq. Simonidi vindicanda esse censet Weissh., 146—150 omnia composuit Callimachus, postremo ultima series continet epigrammata a Meleagreis poetis facta, quibus intermixta sunt quaedam Philippeorum poetarum.

Septimi libri convenientem partem idem sic divisit, ut hae orerentur series: 364—405, 406—506, 507—516, 516*, 517—525, 526—546. Denuo primam seriem, Philippeorum poetarum carmina complexam, excipit coronae Meleagreae fragmentum, post quod sequuntur Simonidea epigrammata

507—516; unicum quartae particulae carmen hoc loco iterum exaravit A, etsi ipse iam scripserat ante eiusdem libri ep. 36, ubi Leonidae id dedit; hic vero C Platonis nomine instruxit idem carmen. Postremo duae particulae a fine positae accurate respondent exitui similis partis sexti libri, quia series 517—525 nulla nisi Callimachea carmina continet, ultima vero constat ex Meleagreorum et Philippeorum poetarum carminibus promiscuis. Weisshaeuplio concedendum esse iudico similitudinem harum duarum Anthologiae Palatinae partium esse maiorem quam ut mero casu ortam eam esse credamus. Cum praeterea verisimile non sit Constantinum utroque loco complures deinceps fontes, accurate servato eodem ordine, adhibuisse (satis enim negligenter vulgo conserere solet epigrammatum copias diversae originis), cum Weisshaeuplio conicere licet Cephalam duas illas carminum series aut totas aut saltem magnis pro partibus hausisse ex uno eodemque fonte. Certe epp. VI 87—133 et VII 364—506 referenda esse videntur ad unum modo fontem; qui pariter suppeditavit omnes reliquos locos, ubi syllogae Philippi fragmentum excipiunt Meleagreae coronae reliquiae quaedam, veluti epigrammatum series V 103—132 et V 133—214. Epigrammata VI 134—150 et VII 507—525 non ex ipsa Meleagrea corona transiisse in Cephalanam Anthologiam credit impiger scrutator, sed a Constantino hausta esse ex recentiore florilegio, quod variorum deinceps poetarum contineret carmina atque ex antiquiore illo fonte derivatum esset. Postremo utriusque seriei ultima carmina repetenda esse putat a tertio fonte, qui fragmenta quidem Meleagreae coronae servaverat non tamen integra, sed Philippeorum poetarum epigrammatis hic illic interrupta. Denique Weisshaeuplii investigatio id abunde perspicuum reddidit Constantinum Cephalam, cum in Anthologiam suam assumeret epp. VI 87—163 et VII 364—546, non ad manus habuisse

ipsam Meleagri coronam nec magis Philippi syllogen, sed recentioris aetatis fontes deteriores. Ut autem in componendis duabus his operis sui partibus contentus fuit mediocribus subsidiis, sic saepius etiam satis negligentem atque socordem se praebuit; immo graves interdum non cavit errores, ut praesertim apparet in septimo libro, cuius epigrammatis sepulcralibus hic illic intermiscuit aliena carmina, veluti dedicatoria, descriptiva, amatoria. Merito igitur Weisshaeuplius compilatorem raptim munere fungentem nuncupavit hunc hominem, qui plerumque singulis in libris componendis nihil egit, nisi ut consueret, quas epigrammatum series ex paucis deinceps fontibus excerpserat.

Sed licet multa in eum cadant crimina, tamen attentione nostra nequaquam indignus est, propterea quod utriusque, quae ad nos pervenit, epigrammatum Anthologiae iecit fundamenta. Nam etiamsi primo obtutu parum congruere videntur Palatina atque Planudea Anthologiae, quae vel ea re inter se discrepant, quod Palatinorum librorum carmina continuas semper efficiunt series, verum Planudeae Anthologiae libri, exceptis quinto atque septimo, omnes sunt divisi in capita, suo quodque titulo instructa atque disposita ex titulorum illorum ordine alphabetico, tamen interior inquisitio nos docet Planudeae sylloges dispositionem vulgo pendere ab ordine Palatinae Anthologiae.

Hisce postremis annis v. cl. Stadtmueller summa industria rimatus est, quae adeo ratio intercederet inter Planudeae Anthologiae libros III, V, VI, VII atque convenientes Palatinos libros VII, II, VI, V, quarum inquisitionum exitus commemoratura faciam initium ab iis, quae de Planudeae libro septimo et Palatinae quinto exposuit ille. Epigrammata amatoria florilegii Palatini, duce Weisshaeuplio, dissecuit in has partes: epp. 1—102 vel partem Rufinianam, 103—132 vel fragm. Philippeum, 133—214 vel fragm. Melea-

greum, 215—301 vel fragm. Agathianum, 302—309 vel appendicem, quas quinque partes distinxit litteris α, β, γ, δ, ε. Epigrammata autem 210, in Planudeae Anthol. Libro VII obvia, divisit in decem has particulas: 1—27, 28—85, 86—102, 103—120, 121—153, 154—164, 165—173, 174—185, 186—198, 199—210. Praeterea per tabulam, in qua iuxta numeros, quibus in Planudea Anthologia sunt instructa carmina cuiusque decem particularum, posuit eorundem epigrammatum numeros Palatinos, luculenter legentibus ob oculos proposuit septimi Planudei libri dispositionem fere ubique regi ordine Palatinae Anthologiae. Optime id apparet ex prima atque ex nona particula, quarum haec tota est deprompta e Musa puerili vel libro XII, illa omnis petita a quinti Palatinae Anthologiae libri parte γ; in utraque enim particula ordo Palatinus ne semel quidem disturbatur. Reliquae octo particulae tantum non semper exhibent carmina in quinto libro Palatino obvia nec tamen per totas has continenter servari solet dispositio Palatina, nam quum saepe singulorum poetarum varia carmina continuare cuperet Maximus, intra eandem particulam aliquoties repetendus ei erat epigrammatum delectus. Quam rem ut explicem, unum sufficiat exemplum. Nempe secundae particulae, cuius carmina omnia continentur libri Palatini parte δ, rursus distinguere possumus frustula haec: 28—38, 39—59, 60—64, 65—80, 81—85. Quarum quinque partium primae atque ultimae, quae variorum auctorum exhibent poemata, opponi possunt mediae tres, e quibus una continet carmina Pauli, altera Macedonii, tertia Agathiae. Nunc iam nullo modo miramur, quod Planudes, postquam in colligendis Pauli epigrammatis iam pervenit ad carmen V 300, rursus rediit ad ep. 230, quum novo delectu instituto Macedonii quoque carmina continuare studeret. Itaque licet raptim rem tractantibus secundae particulae dispositio longe diversa ab ordine Palatino esse videri possit, tamen re

bene perpensa Stadtmuellero concedere debebimus, non quidem totam hanc particulam, attamen singulas eius partes confecisse Planudem ad normam Palatinae Anthologiae. Ut autem huius particulae discrepantias ad certas causas redegit vir clarissimus, sic etiam, sicubi in reliquo septimo libro recedit Planudes a Cephalana dispositione, fere semper indicare potuit, cur id fecerit Maximus, ita ut mihi quidem iam nihil obstare videatur enuntiato, in quod desinit eius argumentatio, huic: „Haec de Planudeae libro septimo disserenda erant, ne etiam posthac Planudeam eroticorum compositionem longe diversam esse a Cephalana contenderetur: nam contra Planudes in eroticis deligendis ac disponendis totus, opinor, a Constantino pendere dicendus erit."

Transeamus nunc ad utriusque Anthologiae librum sextum. Monet autem nos Stadtmuellerus[1]) Planudei libri non veram imaginem exhibere editiones, quae unum carmen (Palatinae Anthol. VI 169) alio loco inserunt atque legitur in manuscripto, alterum (Palatinae sylloges VI 206), in autographo obvium, omittunt, tertium contra, quod in altera Anthologia est VI 323, exhibent, etsi id repudiavit Planudes. Correctis igitur editionum vitiis comperimus Palatinum ordinem fere ubique accurate servatum esse a Maximo singulis in capitibus, e quibus constat sextus liber. Nam ter modo recessit a Palatinae Anthologiae dispositione, in capite 16, capite 23 atque in ultimo vel 27. Reliqua omnia capita servant ordinem Palatinum, nisi quod octavum atque quintum decimum iterato epigrammatum delectu sunt orta, ita ut eorum carmina in binas series dissolvi possint. Ut nullum non indicem discrimen, restat ut dicam duo carmina, a Planude recepta, desiderari in Palatina Anthologia, scilicet unicum carmen capitis tertii decimi et

---

[1]) vol. I pag. 224 sq. in notis.

ultimum vicesimi quarti.[1]) Denique, omnium discriminum habita ratione, inter totius libri capita 27 viginti sunt, quorum epigrammatum dispositio accurate convenit cum ordine Palatino. Quae similitudo maxime est perspicua in capite paenultimo, quod inscribitur ἀπὸ ταχυγράφων; septem enim, e quibus constat, carmina continuam quoque seriem efficiunt in sexto libro Palatinae Anthologiae, ubi numeris 62—68 sunt instructa.

Postquam paulo uberius disputavi de Planudeae sylloges libris septimo et sexto, paucis referre malo, quae de tertii libri compositione disseruit Stadtmuellerus. Ut inter se compararet Planudis librum indicatum et septimum Palatinum, denuo composuit similes tabulas atque usus erat in collatione eorum librorum, quibus continentur amatoria epigrammata. Quum autem liber tertius sit inter eos, quos bipertitos exhibet $Pl^M$, iuxta semper posuit utriusque libri particulae capita congruentia, titulis paribus instructa. Postquam deinde indicavit causas, cur libri $VII^1$ Palatini spreverit epigrammata 182 Planudes, postremo de tota compositione tertii libri Anthologiae Planudeae generale tulit iudicium his verbis: „Ordinem epigrammatum Palatinum a Planude ubique fere satis accurate servari tabulae ipsae ostendunt; verum in capitibus nonnullis epigrammata non una eademque serie continua exhibentur, sed iterato atque etiam saepius repetito delectu binae pluresque partes efficiuntur, ita ut intra utramque syllogen eadem illa compilatoris opera adhibita videatur, qua factum est ut quattuor priores Planudeae libri in autographo bipertiti exstarent. Hic illic variat Planudes ordinem epigrammatum Palatinorum, sive ut paria, contraria componat, sive ut ab eodem in eundemve scripta iungat, sive aliqua simili ratione ductus, sed perraro nullam aut non manifestam permutati

---

1) Forte Anytes hoc est ep. (Anth. Gr. XVI 291).

ordinis Palatini causam deprehendes; certe illud contendere licet, etiam ubi ordo Palatinus maxime in florilegio Planudeo confusus videatur, potuisse tamen vel capita sic conformata ab Anthologia Cephalana oriri, contra plerumque tam diligenter ordinem epigrammatum Palatinorum teneri, ut plurima capita Planudea ab alio fonte atque ab opere Cephalano oriri non potuerint."

Itaque videmus recentissimum Anthologiae Graecae editorem indefesso labore atque summo ingenii acumine conquisivisse argumenta, quibus probaret permagnam Planudei florilegii partem esse referendam ad unam Cephalanam Anthologiam, quam non modo Palatinae, verum etiam Planudeae sylloges basin esse dicendam mihi vero, post Stadtmuelleri aptas argumentationes, vix etiamnunc negari posse videtur. Ut autem in Palatina Anthologia pristino nucleo, a Cephala profecto, postea multa accesserunt additamenta, sic etiam in Planudea sylloge insunt partes quaedam, quas ad Cephalanam Anthologiam referre nequeamus. Totus liber quintus, Christodori descriptionem continens, non magis quam secundus liber Palatinus ex hoc fonte manavisse videtur, nec etiam codicem P ob oculos habuit Planudes, quum exararet ecphrasin illam, ut inde apparet, quod versus aliquot (61—64, 222—224, 380) tradidit, qui desiderantur in eo codice. Quae epigrammata, per varios dispersa libros, solus servavit Planudes, ea omnia, 388 numero, in unum colligere solent editores Palatinae Anthologiae et tamquam appendicem toti operi subiungere. Commodiorem autem ad usum mos percrebruit sexti decimi libri nomine designandi hanc epigrammatum seriem, quasi et haec peculiarem partem Palatinae Anthologiae efficiat. Uti supra vidimus, sextus decimus liber ille ex Anytes epigrammatis tria continet, numeris 228, 231, 291 instructa. Postremo Jacobsius in Anthologiae Palatinae editionem suam praeter Planudea carmina etiam recepit epigrammata

394, apud varios scriptores vel in marmoribus servata, quae pariter redegit in formam appendicis, in qua sextum obtinet locum Anytes carmen sepulcrale, quod memoriae prodidit Pollux.

Haec dicenda erant de Anthologiae Graecae codicibus Marciano atque Palatino et de ratione, quae inter epigrammatum thesauros, quos continent, intercedere videtur. Paucis nunc tangam apographa. Salmasius satis habuit codicis P exscribere ea epigrammata, quae in Planudea Anthologia desiderarentur, adiectis etiam aliis rebus quibusdam, ita ut magni quidem pretii excerpta confecerit nec tamen totius codicis editionem curaverit. Quum autem saepe aliis viris doctis ex copiis suis suppeditare quaedam soleret Salmasius, paulatim earum rerum, quas e codice P transscripserat ille, orta sunt apographa, e quibus prae ceteris innotuit Lucae Holstenii codex Barberinus, qui dicitur.[1]) Perspicimus igitur quomodo fieri potuerit ut Holstenius, quum notis et castigationibus instrueret Stephanum Byzantium, ad vocem Tegeam annotaret haec: „<Anyte> fuit celebris poetria cuius Epigrammata aliquot exhibet Fulvius Ursinus inter Illustrium foeminarum Carmina. *Quibus adiungo aliud hactenus non editum ex M. S. Barberino*, in quo patriae suae meminit Tegeae. Unde perspicitur eam perperam Epidauriam ab Ursino appellari, qui Pausaniae locum [2]) sententiae suae fundum habet. Est autem sequens:

*Βουχάνδης ὁ λέβης, ὁ δὲ θεὶς ἐριάσπιδα υἱός*
*Κλεύβοτος· ἁ πάτρα δ'εὐρύχορος Τέγεα.*
*Τ' 'Αθάνᾳ δὲ τὸ δῶρον 'Αριστοτέλης δ'ἐποίησε*
*Κλειτόριος· γενέτῳ τ' αὐτὸ λαχὼν ὄνομα.*"

A Stadtmuellero memorantur codicis Palatini apographa

---

1) Cf. Susemihl. l. l. II pag. 571. Es entstanden Abschriften aus den Auszügen von Salmasius, so der sogenannte Barberinus von L. Holstein.

2) X. 38. 7.

quattuor haec: ap. G. sive Guietianum, ap. R. sive Ruhnkenianum, ap L. sive Lipsiense, ap. B. vel Buh. sive apographon codicis Buheriani. Ex ap. L., quod exaravit Isaac Gruterus, fluxit editio Reiskiana; ap. B. ex apographo Buheriano descriptum est a Io. Gottl. Schneidero. Lectiones ultimi potissimum huius apographi passim indicare curavit Stadtmuellerus, quoniam hoc manuscriptum praeter epigrammatum textum notas quoque, in margine appictas, exhibet, quarum pleraeque Salmasii ingenio debentur. Licet omnia illa apographa ab auctoribus sint confecta eo consilio ut, collatione facta codicis P, epigrammatis Anthologiae Planudeae iam dudum divulgatis, adderentur etiam ea Cephalanae Anthologiae carmina, quae repudiasset Planudes, tamen non semper in munere hoc fungendo sedulo caverunt errores. Qui multi se insinuarunt, ita ut nunc in apographis desiderentur carmina aliquot, a Maximo quoque omissa, nunc in iis legantur epigrammata, in Planudea sylloge obvia.[1])

Ex notis quibus hucusque quattuor priora inter quinque Anytes epigrammata a Planude praetermissa (VI 123, VI 153, VII 215, VII 724, IX 745) ornavit Stadtmuellerus, apparet secundum ex his carminibus obvenire in omnibus apographis, de quibus nunc agimus. Reliqua tria non frustra quaeras in ap. B., ubi pag. 134 continetur ep. VII 215, quod inter apographi sepulcralia carmina occupat sedem 18, pagina autem 162 ep. VII 724 numero 134 in hac sylloge insignitum.

Pervenio nunc ad eam Anytes epigrammatum corollam, quae inest in codice Matritensi 24. Cuius auctor, Constantinus Lascaris, magnas epigrammatum copias congessit, maximam partem petitas e Planudeae Anthologiae codice quodam; nonnumquam vero in carminibus disponendis non

---

1) De apogr. cod. Buheriani cf. Stadtm. p. pr. vol. II. pag. XXVIII.

servavit eum ordinem, quo in fonte suo ordinata ea legerat, sed suam ingressus est viam, ut nempe continuarentur eiusdem poetae variae artis poeticae reliquiae. Sic ortae sunt peculiares aliquot syllogae singulorum poetarum, in quorum numerum recepta etiam est Anyte. Tamquam Tegeaeae poetriae epigrammata codex ille profert carmina haec:[1])

| Anth. Pal. | Pl$^{M}$ |
|---|---|
| IX 144 | L.I et iterum L. IV. |
| VII 232 | III$^{b}$ 4. 1. |
| VII 236 | III$^{b}$ 4. 2. |
| VII 238 | III$^{b}$ 4. 3. |
| VII 208 | III$^{b}$ 4. 17. |
| VII 490 | III$^{b}$ 20. 6. |
| VII 190 | III$^{a}$ 21. 8. |
| VII 202 | III$^{a}$ 21. 11. |
| VII 646 | III$^{b}$ 25. 7. |
| VII 486 | III$^{b}$ 25. 8. |
| XVI 228 | IV |
| XVI 229 | IV |
| XVI 291 | IV$^{b}$ et iterum VI. 24. 6. |

Itaque tredecim horum epigrammatum maior pars deprompta est ex altera particula tertii libri Planudei; eiusdem pars prior duo suppeditavit carmina; reliqua quattuor apud Planudem leguntur in libris primo, quarto vel sexto. Praeterea videmus scriptorem codicis Matritensis intra Anytes carminum syllogen observasse fere ordinem Planudeum; id quod imprimis apparet in carminibus VII 232, 236, 238, quae in codice Marciano continuam efficiunt seriem, ac denuo in epigrammatis VII 646 et 486, quae pariter sese excipiunt in autographo. Uti res fert in sylloge, e Planudea Anthologia hausta, desiderantur

1) Recensuit huius corollae carmina Stadtm. in notis ad ep. VII 190.

quinque illa Anytes carmina, quae e Palatino demum codice innotuerunt. At praeterea desunt etiam tria haec: VI 312, IX 314, XVI 231, quamquam ea non praetermisit Planudes. E tredecim his carminibus novem tantum iure Anytae vindicari mihi videntur eaque: IX 144, VII 208, 490, 190, 202, 646, 486, XVI 228, 291. Cur autem reliqua quattuor a Tegeaea poetria abiudicanda esse censeam, epigramma vero VII 190, quamquam et Planudes et Corrector duo ei ascripserunt auctorum nomina, nemini nisi Anytae tribuere velim, has res infra suo loco exponere mihi est in animo.

Restat ut recenseam eos Suidae locos, ubi interpretatur ille voces minus usitatas, in Anytes carminibus obvias, atque epigrammatum poetriae nostrae tradit fragmenta. Sunt autem hi:[1])

| | | |
|---|---|---|
| Anth. Pal. VI. 123. | *κράνεια* | *ἐκ κρανείας δόρυ· ἐν ἐπιγράμματι "ἕσταθι τῇδε, κράνεια βροτοκτόνε, μηδ' ἔτι λυγρὸν χάλκεον ἀμφ' ὄνυχα στάζε φόνον δαΐων."* |
| | *ἠνορέη* | *ἀνδρία· "ἄγγελλ' ἠνορέην Κρητὸς Ἐχεκρατίδα" ἐν ἐπιγράμματι.* |
| VI. 153. | *βουχανδής* | *βοῦν χωρῶν· ἐν ἐπιγράμμασι "βουχανδὴς ὁ λέβης, ὁ δὲ θεὶς Ἐριασπίδα υἱὸς Κλεύβοτος."* |
| VII. 202. | *ἐρέσσων* | *κωπηλατῶν· "οὐκέτι μ' ὡς τὸ πάρος πυκιναῖς πτερύγεσσιν ἐρέσσων ὄρσεις ἐξ εὐνῆς ὄρθριος ἐγρόμενος."* |
| | *Σίνις* | *ὄνομα λῃστοῦ βλαπτικοῦ· "ἦ γάρ σ' ὑπνώοντα Σίνις λαθρηδὸν ἐπελθὼν ἔκτεινεν, λαιμῷ ῥίμφα καθεὶς ὄνομα"* (sic). |
| | *ῥίμφα* | *ῥᾳδίως, εὐχερῶς· "ἦ γάρ σ' ὑπνώοντα σίνις λαθρηδὸν ἐπελθὼν ἔκτεινεν, λαιμῷ ῥίμφα καθεὶς ὄνυχα."* |

---

[1]) Adhibui eam Suidae ed., quae ex recogn. I. Bekkeri prodiit a. 1854.

VII. 208. μενεδάιος — ἵππος ὁ πολεμιστήριος. "σᾶμα τόδε φθιμένου μενεδαΐου εἵσατο Δᾶμις ἵππου, ἐπεὶ στέρνον τοῦδε δαφοινὸς Ἄρης τύψε."

δαφοινόν — τὸ πάνυ φοινίσσον· "σᾶμα τόδε φθιμένου μενεδαΐου εἵσατο Δᾶμις ἵππου, ἐπεὶ στέρνον τοῦδε δαφοινὸς Ἄρης τύψε."

ταλαύρινος 1) — ὑπομονητικός, καρτερικὸς ἐν τῇ μάχῃ. "μέλαν δέ οἱ αἷμα ταλαυρίνου διὰ χρωτὸς ζέσσ', ἐπὶ δ' ἀργαλέαν βῶλον ἔδευσε φόνῳ."

VII. 215. ποιφύσσω — σφοδρῶς καὶ μετὰ ἤχου τὴν πνοὴν ἐκπέμπω. "οὐδὲ πέρα σκαρθμοῖσι νεὼς περὶ χάλκεα χείλη ποιφύσσω, τἀμᾷ τερπόμενος προτομᾷ" ὁ δελφίς φησιν.

Suidae varios codices, sicubi opus erit, duce Stadtmuellero indicabimus hac ratione, ut Suid.[A] significet codicem Parisinum 2625, Suid.[B] Parisinum 2622, Suid.[V] Vossianum sive Leidensem, Suid.[D] Oxoniensem 289, Suid.[E] Bruxellensem.

1) Ex Stadtmuelleri ann. in vol. II pag. 139 apparet finem Anytes ep. VII 208 in Suidae codd. non legi s.v. ταλαύρινος, sed perperam s.v. τάλαρος.



## CAPUT III.

# De Anytes carminum reliquiis.

### § 1. De Anytes dialecto ac sermonis proprietatibus.

Reitzensteinius [1]) eos poetas, qui tertio saeculo a. Chr. n. inclaruerunt epigrammatica arte ac quorum carmina e corona Meleagrea fluxerunt in Cephalanam Anthologiam, in universum dividi posse arbitratur in duo genera praecipua, quorum alterum appellare solet Doricum, Ionicum alterum. Etsi nomina illa repetivit a principum poetarum origine ac natione, tamen simul nos monuit nequaquam sic ea esse accipienda, quasi sola dialecto distet utrumque genus; totam enim indolem Dorici epigrammatis, quod in describendis animi affectibus, naturae amoenitate, vita privata occupatum prope accedat ad lyricam poesin, longe esse diversam ab arte Ionicorum, quae potius nobis revocet in memoriam carmina elegiaca, qualia composuerint Mimnermus vel Hermesianax. Ut autem de Ionico epigrammate optime meritus sit Asclepiades [2]), sic inter Doricos illos auctores facile principem fuisse censet Anyten nostram.

Nihil obstare videtur, quominus Reitzensteinio duce asciscamus Anyten in numerum Doricorum poetarum. Certe Tegeatarum dialectum, qualem exhibent tituli aliquot Arcadici, in poetriae Tegeaeae arte nemo exspectat. An quis

[1]) Epigramm und Skolion. pag. 121. sq.

[2]) ibidem pag. 180 extr.

putet eius aetatis poetam litteris mandaturum fuisse formas, quales sunt *ἐργωνίαυ* vel *ἐσδοκαῦ*. [1]) Ceterum eas quoque proprietates, quibus nulli non Arcades utebantur, veluti terminationem *-αυ* in genitivis masculinorum nominum primae declinationis ubique repudiavit Anyte.

Verum antequam longius progrediamur in investigandis poetriae sermonis proprietatibus, quarum ope constituamus singulorum carminum iustas lectiones, utile videtur indicare, quomodo nuper Stadtmuellerus ediderit decem illa epigrammata, quae continentur sexto atque septimo libro Palatino. Leguntur autem apud eum sic:

VI. 123.

*Ἕσταθι τᾷδε, κράνεια βροτοκτόνε, μηδ' ἔτι λυγρὸν*
*χάλκεον ἀμφ' ὄνυχα στάζε φόνον δαΐων·*
*ἀλλ' ἀνὰ μαρμάρεον δόμον ἡμένα αἰπὺν Ἀθάνας*
*ἄγγελλ' ἀνορέαν Κρητὸς Ἐχεκρατίδα.*

VI. 153.

*Βουχανδὴς ὁ λέβης· ὁ δὲ θεὶς Ἐριασπίδα υἱός,*
*Κλεύβοτος· ἁ πάτρα δ' εὐρύχορος Τεγέα·*
*τᾀθάνᾳ δὲ τὸ δῶρον· Ἀριστοτέλης δ' ἐπόησεν*
*Κλειτόριος, γενέτᾳ ταὐτὸ λαχὼν ὄνομα.*

VI. 312.

*Ἡνία δή τοι παῖδες ἐνί, τράγε, φοινικόεντα*
*θέντες καὶ λασίῳ φιμὰ περὶ στόματι*
*ἵππια παιδεύουσι θεοῦ περὶ ναὸν ἄεθλα,*
*ὄφρ' αὐτοὺς ἐφορῇ νήπια τερπομένους.*

VII. 202.

*Οὐκέτι μ' ὡς τὸ πάρος πυκιναῖς πτερύγεσσιν ἐρέσσων*
*ὄρσεις ἐξ εὐνῆς ὄρθριος ἐγρόμενος·*
*ἦ γάρ σ' ὑπνώοντα σίνις λαθρηδὸν ἐπελθὼν*
*ἔκτεινεν λαιμῷ ῥίμφα καθεὶς ὄνυχα.*

---

1) Cf. Richard Meister. Die griechischen Dialekte. 2. Band. pag. 99.

VII. 208.

*Μνᾶμα τόδε φθιμένου μενεδαΐου εἵσατο Δᾶμις*
*ἵππου, ἐπεὶ στέρνον τοῦδε δαφοινὸν Ἄρης*
*τύψε· μέλαν δέ οἱ αἷμα ταλαυρίνου διὰ χρωτὸς*
*ζέσσ', ἐπὶ δ' ἀργαλέᾳ βῶλον ἔδευσε φονᾷ.*

VII. 215.

*Οὐκέτι δὴ πλωτοῖσιν ἀγαλλόμενος πελάγεσσιν*
*αὐχέν' ἀναρρίψω βυσσόθεν ὀρνύμενος,*
*οὐδὲ παρ' εὐσκάλμοιο νεὼς περικαλλέα χείλη*
*ποιφύξω ταμᾷ τερπόμενος προτομᾷ·*
*ἀλλά με πορφυρέα πόντου νοτὶς ὦσ' ἐπὶ χέρσον,*
*κεῖμαι δὲ ῥαδινὰν τάνδε παρ' ἠιόνα.*

VII. 486.

*Πολλάκι τῷδ' ὀλοφυδνὰ κόρας ἐπὶ σάματι Κλεινὼ*
*μάτηρ ὠκύμορον παῖδ' ἐβόασε φίλαν,*
*ψυχὰν ἀγκαλέουσα Φιλαινίδος, ἃ πρὸ γάμοιο*
*χλωρὸν ὑπὲρ ποταμοῦ χεῦμ' Ἀχέροντος ἔβα.*

VII. 490.

*Παρθένον Ἀντιβίαν κατοδύρομαι, ἇς ἐπὶ πολλοὶ*
*νυμφίοι ἱέμενοι πατρὸς ἵκοντο δόμον*
*κάλλευς καὶ πινυτᾶτος ἀνὰ κλέος. ἀλλ' ἐπὶ πάντων*
*ἐλπίδας οὐλομένα Μοῖρ' ἐκύλισε πρόσω.*

VII. 646.

*Λοίσθια δὴ τάδε πατρὶ φίλῳ περὶ χεῖρε βαλοῦσα*
*εἶπ' Ἐρατὼ χλωροῖς δάκρυσι λειβομένα·*
*'Ὦ πάτερ, οὔ τοι ἔτ' εἰμί, μέλας δ' ἐμὸν ὄμμα καλύπτει*
*ἤδη ἀποφθιμένας κυάνεος θάνατος.'*

VII. 724.

*Ἦ ῥα μένος σε, Πρόαρχ', ὄλεσ' ἐν δαΐ, δῶμά τε πατρὸς*
*Φειδία ἐν δνοφερῷ πένθει ἔθου φθίμενος.*
*ἀλλὰ καλόν τοι ὕπερθεν ἔπος τόδε πέτρος ἀείδει,*
*ὡς ἔθανες πρὸ φίλας μαρνάμενος πατρίδος.*

Reliqua Anytes epigrammata in Jacobsiana editione minore, quae fluxit ex codicis Palatini apographo Gothano, audiunt sic:

IX. 144.

*Κύπριδος οὗτος ὁ χῶρος, ἐπεὶ φίλον ἔπλετο τήνᾳ*
*αἰὲν ἀπ' ἠπείρου λαμπρὸν ὁρῆν πέλαγος,*
*ὄφρα φίλον ναύτῃσι τελῇ πλόον· ἀμφὶ δὲ πόντος*
*δειμαίνει, λιπαρὸν δερκόμενος ξόανον.*

IX. 314.

*Ἑρμᾶς τᾷδ' ἕστακα παρ' ὄρχατον ἠνεμόεντα*
*ἐν τριόδοις, πολιᾶς ἐγγύθεν ἀϊόνος,*
*ἀνδράσι κεκμηῶσιν ἔχων ἄμπαυσιν ὁδοῖο·*
*ψυχρὸν δ' ἀχραὲς κράνα ὑποϊάχει.*

IX. 745.

*Θάεο τὸν Βρομίου κεραὸν τράγον, ὡς ἀγερώχως*
*ὄμμα κατὰ λασίαν γαῦρον ἔχει γενύων,*
*κυδιόων ὅτι οἱ θάμ' ἐν οὔρεσιν ἀμφὶ παρῇδα*
*βόστρυχον εἰς ῥοδέαν Ναΐς ἔδεκτο χέρα.*

XVI. 228.

*Ξεῖν', ὑπὸ τὰν πέτραν τετρυμένα γυῖ' ἀνάπαυσον·*
*ἁδύ τοι ἐν χλωροῖς πνεῦμα θροεῖ πετάλοις.*
*πίδακά τ' ἐκ παγᾶς ψυχρὸν πίε· δὴ γὰρ ὁδίταις*
*ἄμπαυμ' ἐν θερμῷ καύματι τοῦτο φίλον.*

XVI. 231.

α. *Τίπτε κατ' οἰόβατον, Πὰν ἀγρότα, δάσκιον ὕλαν*
*ἥμενος, ἁδυβόᾳ τῷδε κρέκεις δόνακι;*
β. *ὄφρα μοι ἑρσήεντα κατ' οὔρεα ταῦτα νέμοιντο*
*πόρτιες ἠϋκόμων δρεπτόμεναι σταχύων.*

XVI. 291.

*Φριξοκόμᾳ τόδε Πανὶ καὶ αὐλιάσιν θέτο Νύμφαις*
*δῶρον ὑπὸ σκοπιᾶς Θεύδοτος οἰονόμος.*
*οὕνεχ' ὑπ' ἀζαλέου θέρεος μέγα κεκμηῶτα*
*παῦσαν, ὀρέξασαι χερσὶ μελιχρὸν ὕδωρ.*

Append. 6.

Ὤλεο δήποτε, Μαῖρα, πολύρριζον παρὰ θάμνον,
Λοκρί, φιλοφθόγγων ὠκυτάτη σκυλάκων,
τοῖον ἐλαφρίζοντι τεῷ ἐγκάτθετο κώλῳ
ἰὸν ἀμείλικτον ποικιλόδειρος ἔχις.

Ea potissimum re Anytes epigrammatum textus in novissima Anthologiae editione distat a vetustiorum editionum textu, quod locis septem ad Doricam dialectum aliquatenus revocavit haec carmina Stadtmuellerus, *α* Doricum pro *η* restituens in vocibus *ἐβόασε* (VII 486. 2.), *ψυχάν* (VII 486. 3.), *Ἀντιβίαν* (VII 490. 1.), *ἅς* (VII 490. 1.), *πινυτᾶτος* (VII 490. 3.), *οὐλομένα* (VII 490. 4.), *ἀποφθιμένας* (VII 646. 4.). Nec defuit ei hac in re auctoritas (si qua est) codicis P, qui e septem formis laudatis praebet quinque has: *ἐβόασε*, *ψυχάν*, *Ἀντιβίαν*, *ἅς*, *οὐλομένα*.

Uti vidimus antea, epigrammata VII 486 et VII 490, quibus continentur quinque haec vocabula, attinent ad eam codicis partem, in qua carminum textus debetur librario A; at recurrit prius epigramma codicis pag. 257, denuo ibi exaratum a Correctore. Quibus rebus factum est, ut lectiones *ἐβόασε* et *ψυχάν* nitantur cum scribae A, tum vero etiam Correctoris auctoritate. Eaedem quoque codicis manus conspirant ad formam *Ἀντιβίαν*, quam in textu tradidit A, C vero in titulo epigrammatis VII 490 hoc: *εἰς ἀντιβίαν*. Scripturas autem *ἅς* et *οὐλομένα* solus testatus est scriba A. Exhibet quidem formam *πινυτᾶτος* textus codicis P, ita tamen, ut *τῷ α* superscriptum sit *η*. Ceterum haec notitia profecta esse videtur a Lemmatista, quem testem esse minime locupletem studuimus ostendere in praecedenti capite. Causa autem, cur non acquieverit in pristina forma *πινυτᾶτος*, a librario A exarata, inde repetenda esse mihi videtur, quod, quum ignoraret Anytes *ἅπαξ εἰρημένον πινυτάς*, nosset vero Homericum substantivum *πινυτή*, ad huius normam retractare voluerit traditam lectionem. At vero,

quum constet substantiva feminini generis, quae in Attica dialecto exeant in -της, in dialecto Dorica, qua plerumque usa est Anyte, in ultimis syllabis exhibere ᾱ, non dubito quin iure retinuerit Stadtmuellerus lectionem πινυτᾶτος. Restat versus VII 646. 4, in quo suo Marte novissimus editor scripsit ἀποφθιμένας, quamquam ibi Ionicam terminationem -ης testificantur tam Planudes quam librarii codicis P. Iure suo tamen Stadtmuellerus reposuit α; nam ut probemus scripturam ἀποφθιμένας vel contra consensum diversarum manuum duae res nobis suadent. Primum enim flagitat Doricam formam tota indoles Anytes poeseos, in qua poesi semper ac ubique omnibus in rebus observatur quam maxima constantia; cum autem adhibere soleat Tegeaea poetria Doricas primae declinationis terminationes, causam non video, cur credamus in hoc adeo participii genitivo recessisse eam a certa sua consuetudine. Deinde negari non potest librarios A et C, quamvis non toties permutaverint ᾱ et η, quoties Planudes, interdum tamen non satis cavisse omnes huiusmodi errores. Veluti A in quarto versu epigrammatis VI 123 tradiderat ridiculam lectionem κρατός, quod mendum correxit C, in locum erasae litterae α substituens η. Praeterea primus versus epigrammatis VII 486 in codice P utroque, ubi legitur, loco continet perversam lectionem σήματι, qui ergo error non soli scribae A, sed Correctori quoque crimini est dandus; ceterum bene factum, quod huius vocis veram scripturam σάματι tradidit Planudes. Quae omnia me ducunt, ut omnino non graver iuxta sex Doricas formas illas, de quibus adsunt optimorum librariorum testimonia, probare etiam lectionem ἀποφθιμένας, a Stadtmuellero propositam.

Idem editor in constituendo textu eorum Anytes epigrammatum, quae desiderantur in Anthologia Planudea, eandem sibi sumpsit licentiam, ut nempe hic illic pro traditis Ionicis formis ederet Doricas. Veluti in primo

versu epigrammatis VI 123 apud Stadtmuellerum legitur adverbium τᾲδε, etsi codex P hoc loco praebet τῆιδε, Suid.[V] vero τῇδε; in sequentem versum eiusdem carminis recentissimus editor recepit lectionem δαΐων, pro qua forma habet δηΐων codex P; postremo in ultimo versu epigrammatis VI 153 probavit Stadtmuellerus Salmasii coniecturam, in margine ap. B. appictam, γενέτᾳ, qua sanatur codicis P perversa lectio γενέτωι, quae in γενέτῃ abiit in margine ap. L. Primam trium harum mutationum iure esse factam paene certo argumento stabiliri potest; nam extra epigramma VI 123 semel modo adhibuit Anyte adverbium τᾷδε, in primo versu carminis IX 314, quo loco omnes scribae consentiunt de Dorica hac forma. Accedit quod in utroque epigrammate prorsus eandem sedem obtinet hoc adverbium; positum enim est utrobique in primo versu ab initio secundi pedis, id quod ostendit comparatio horum versuum:

VI. 123. 1. Ἕσταθι τᾷδε, κράνεια βροτοκτόνε, μηδ’ ἔτι λυγρόν.
IX. 314. 1. Ἑρμᾶς τᾷδ’ ἕστακα παρ’ ὄρχατον ἠνεμόεντα.

Vix autem mihi persuadeo Anyten, quum bis eodem loco adhiberet eandem vocem, nunc usurpasse Ionicam, nunc vero Doricam formam ac quum lectio τᾷδε melius quadret in ceteram nostrae poetriae dialectum, duce Stadtmuellero hanc praeferendam esse censeo. Negligi posse videtur scriptura τῇδε, quam praebet Suid.[V], quia idem codex saepius tradit η iis quoque locis, ubi ᾱ requiri certis testimoniis constat; veluti pro iusta lectione ἀνορέαν (VI 123. 4) in hoc manuscripto legitur ἠνορέη. Quam igitur adverbii nostri scripturam in textum recepit Stadtmuellerus, eam iam suaserat Meinekius, ita tamen, ut daret optionem inter formas τεῖδε et τᾷδε, quarum illam praetulit Reitzensteinius;[1] mihi vero hanc solam probandam esse ostendere videtur Anytes vs. IX. 314. 1.

1) Epigr. u. Skol. pag. 123 infra.

Recepit quidem Stadtmuellerus in versum secundum epigrammatis VI 123 scripturam *δαΐων* a Kuestero propositam, attamen dubitanter id fecit, nam in notis haec habet de exitu huius versus: *διερὸν* (cl. Aesch. Eumen.[1]) 263) ego conieci: nam vocis *δάιος* syllabam primam Anyte non videtur corripuisse; id quod effecit e poetriae versu hoc:

VII. 208. 1. *Μνᾶμα τόδε φθιμένου μενεδαΐου εἵσατο Δᾶμις.*

Sed sine iusta causa aversari mihi videtur vir clarissimus quantitatum diversitatem in vocibus *μενεδαΐου* atque *δαΐων*. Quid enim? Licet in rebus orthographicis plerumque sibi constitisse poetriam Tegeaeam verisimile sit, tamen negari non potest eam paulo minus severam se praebuisse quod ad rem metricam attineat, atque hic illic, metro flagitante, admisisse eorundem aut congruentium vocabulorum diversas quantitates. Veluti semel produxit primam syllabam in substantivo *πάτρα*, alibi vero usa est Attica correptione in voce *πατρίδος*, ita ut eo nomine inter se opponi possint duo hi versus:

VI. 153. 2. *Κλεύβοτος· ἁ πάτρα δ' εὐρύχορος Τεγέα·*

VII. 724. 4. *ὡς ἔθανες πρὸ φίλας μαρνάμενος πατρίδος.*

Eadem quantitatis discrepantia notatur in priore syllaba adiectivi *καλός*, quam syllabam corripuit Anyte in hoc versu:

VII. 724. 3. *ἀλλὰ καλόν τοι ὕπερθεν ἔπος τόδε πέτρος ἀείδει,*

at contra produxit in sequenti hexametro:

*Ἵζεο τᾶσδ' ὑπὸ καλὰ δάφνας εὐθαλέα φύλλα,*

a quo versu incipit epigramma IX 313, quod, etsi in codice $Pl^{M}$ nulli certo auctori tribuitur, tamen procul dubio ab

---

1) Quamquam Stadtmuellerus laudat Agamemnonem fabulam, non dubito quin voluerit Eumenidum versum 263, qui cum praecedentibus hanc efficit sententiam: *αἷμα μητρῷον χαμαὶ δυσαγκόμιστον, παπαῖ, τὸ διερὸν πέδοι χύμενον οἴχεται.*

ipsa Anyte est profectum, qua de re infra suo loco plura dicemus.

Praeterea etiam huc pertinere videntur accusativus χέρα, quo finitur Anytes versus IX. 745. 4:

βόστρυχον εἰς ῥοδέαν Ναῒς ἔδεκτο χέρα,

atque forma χεῖρε, quae occurrit in poetriae versu VII. 646. 1:

Λοίσθια δὴ τάδε πατρὶ φίλῳ περὶ χεῖρε βαλοῦσα.

Si autem Anyte sine discrimine usa est lectionibus κᾱλός et κᾰλός, πάτρα et πᾰτρίς, χεῖρε et χέρα, quidni credamus eam iuxta adhibuisse formas μενεδᾱΐου et δᾰΐων, quum praesertim haec, similiter ac voces πατρίδος et χέρα, occurrat in fine versus, ubi plures licentias videtur admisisse nostra quam ceteris versus sedibus. Ceterum non puto ignorasse Anyten apud Homerum non magis constare quantitatem primae syllabae vocis δήϊος; quum enim epicae poeseos peritissimam eam fuisse arguant carminum eius reliquiae, sine dubio, quum perinde pateretur lectiones μενεδᾱΐου ac δᾰΐων, ob oculos ei versabantur versus Homerici quales sunt hi:

Il. VII. 119. δηίου ἐκ πολέμοιο καὶ αἰνῆς δηιοτῆτος.

Il. II. 544. θώρηκας ῥῆξαι δηΐων ἀμφὶ στήθεσσι,

in quibus versibus fieri non potest quin admittatur vocis δήϊος lectio trisyllaba, quia ceteroquin alter esset compositus ex syllabis longis continua serie se excipientibus, alter contineret pedes trochaïcos.

Alexandrina quoque aetate in usu fuisse lectionem illam trisyllabam testantur Herodiani (περὶ παθῶν fragm. 563) verba haec: δήιος παρὰ τὸ δέος δέϊος καὶ δήϊος ὁ δέος ἐμποιῶν.

His de causis non dubito quin acu rem tetigerit Kuesterus, quum in fine versus VI. 123. 2 proponeret lectionem δαΐων, quam aliquatenus etiam commendant Suidae codices, in quibus latet vera lectio sub corruptela δαΐδων. Supervacaneae igitur mihi videntur variae coniecturae, quas hoc

loco tentaverunt viri docti, ita ut non magis amplecti velim Hermanni lectionem ῥανίδων quam adiectivum διερόν, quod proposuit Stadtmuellerus.

De tertia voce γενέτᾳ, in epigrammate VI 153 obvia, multis sane verbis opus non erit; nemo enim, opinor, defendere conabitur formam γενέτῳ in codice P traditam nec credo quemquam diu esse dubitaturum, si optio ei sit inter apographi L. lectionem γενέτῃ et convenientem Doricam formam a Salmasio propositam.

Laudo igitur quod strenue dedit operam Stadtmuellerus, ut redderet Doricas formas tam Anytes epigrammatis in utraque Anthologia obviis quam iis, quae solus servavit codex P. Quin etiam vereor ne nondum exhauserit numerum emendationum necessariarum, nam ut ubique nobis constemus in reducendo Dorico α necesse esse videtur scribamus etiam εὐνᾶς in secundo versu epigrammatis VII 202 et ἀιόνα in fine carminis VII 215, quibus locis non sollicitavit noster editor lectiones traditas εὐνῆς et ἠιόνα, quarum illa debetur tam Planudi quam scribis A et C, haec vero, in carmine a Planude praetermisso obvia, profecta est a solis manibus A et C.

Scripturam ἀιόνα commendat ipsius Anytes versus IX. 314. 2:

ἐν τριόδοις, πολιᾶς ἐγγύθεν ἀϊόνος,

in quo versu Doricam formam ἀϊόνος testificantur et Pl[M] et codex P. Simul apparet substantivum ἀϊών, quod bis claudit pentametrum versum, esse inter ea vocabula, quibus certum assignavit Anyte locum in carminibus suis. Ne quis vero propter incertam vocis ἠιών originem malit in utrumque carmen recipere formam per η, consentaneum est monere Doricam scripturam ἀιών constare ex Pindari versibus:[1])

---

1) Isthm. I. vv. 32—34.

χαίρετ'. ἐγὼ δὲ Ποσειδάωνι Ἰσθμῷ τε ζαθέᾳ
Ὀγχηστίαισίν τ' αἰόνεσσιν περιστέλλων ἀοιδὰν
γαρύσομαι κ. τ. λ.

Recurrit eadem forma apud Aeschylum, qui in Agamemnone (vv. 1157—1159) querentem facit Cassandram:

ἰὼ Σκαμάνδρου πάτριον ποτόν.
τότε μὲν ἀμφὶ σὰς αἰόνας τάλαιν' ἠνυτόμαν τροφαῖς.

Minime autem mirum, quod scribae codicis P in altero tantum Anytes carmine integram tradiderunt formam αἰών; vixerunt enim iis temporibus, quibus Dorica dialectus iam dudum evanuisset et e litteris Graecis et ex hominum sermonibus. Fieri igitur vix potuit, ut Dorica vocis forma in carmen IX 414 scribarum arbitrio sit illata, quum contra verisimile est versu VII. 215. 6 pristinam lectionem αἰόνα tractu temporis a Byzantinis librariis, Doricae dialecti parum peritis, esse mutatam in Ionicam formam. Quo magis nobis licet utroque loco recipere Doricam scripturam, quae semel saltem in codd. remansit libera a corruptelis.

Similiter facere non possum quin credam formam εὐνῆς, in versu VII. 202. 2 a librariis traditam, per errorem esse ortam, pristinam vero lectionem fuisse εὐνᾶς.

Restat Anytes versus unus, in quo hucusque retinuerunt editores Ionicam quandam terminationem; namque epigrammatis eius, quod litteris mandavit Pollux, versum secundum edere solent sic:

Λοκρί, φιλοφθόγγων ὠκυτάτη σκυλάκων.

At cogi nos hic reponere ὠκυτάτα pro ὠκυτάτη, ne cum ceterorum carminum sermone pugnet unum hoc epigramma, post ea, quae modo exposui, quivis, credo, facile videbit. Ceterum haec correctio eo minus est violenta, quod ipsa lectio ὠκυτάτη a Kuhnio et Brunckio per coniecturam est reposita pro codicis lectione ὠκυτάτων.

Ex praecedentibus iam satis apparet hodie demum, postquam accurata distinctio diversarum manuum, quae nava-

verint operam codici P, nos docuerit ex optimorum adeo scribarum calamis incolume plerumque evasisse Doricum ᾱ, fugere temeritatis crimen, qui generaliter restituat hanc litteram in Anytes epigrammatis. Sed alia quoque vestigia adsunt in codice P, quae nos adducant in hanc opinionem, multo magis inclinasse ad Doricam dialectum nostram poetriam quam efficias e Planudeae Anthologiae lectionibus; veluti non dubito, quin versu IX. 144. 2 infinitivus Doricus ὁρῆν, quem suppeditat codex P, sit praeferendus formae ὁρᾷν in Pl[M] traditae. Ceterum bene factum, quod nonnullas quoque Doricas lectiones aeque testatur uterque codex; sic in fine versus IX. 144. 1 pronomen τήνα consensu exhibent manuscripta. Interdum etiam accurate sibi respondent duae Doricae formae, quarum unam praebet epigramma, apud solum Planudem obvium, alteram vero carmen aliquod in Palatina tantum Anthologia servatum; veluti inter se comparari possunt nomina propria Θεύδοτος (XVI. 291. 2) et Κλεύβοτος (VI. 153. 2), in quibus memorabilis est diphthongus ευ, ex contractis vocalibus εο orta, qui contrahendi mos in compositis cum θεός, νέος, κλέος recentioribus certe temporibus percrebuerat per varias regiones, quas habitabant Dorienses. Quum autem usus huius contractionis latius pateret apud Iones, ii potissimum Dorienses, quibus multum erat commercium cum Ionibus, veluti Rhodii vel Cyrenaei, in genitivis quoque nominum in -ης et -ος interdum in ευ coniungebant vocales εο. Paulatim etiam ad reliquos Dorienses permanasse videtur genitivus in -ευς, ita ut apud nostram legatur κάλλευς (VII. 490. 3); iuxta tamen usam esse Anyten pristina Dorica terminatione -εος indicat forma θέρεος (XVI. 291. 3).[1]

---

[1] De vocalibus εο in ευ contractis apud Dorienses cf. Ahrens. De Graecae linguae dialectis. II. pagg. 213—216. Ceterum non me latet, licet nomina Θεύδοτος et Κλεύβοτος sint referenda ad Doricam dialectum, fieri tamen potuisse, ut terminationem -ευς in geni-

Quae omnia affatim ostendunt summo iure fundamentum Anytes sermonis dici posse Doridem dialectum; cuius tamen dialecti legibus non semper ac ubique eam satisfecisse, at contra hic illic deflexisse ad Atticam aut epicam dialectos simul concedendum erit. Non enim satis habuit semel iterumque usurpare voces vel locutiones ex Homerica poesi aut ex Atticorum tragica musa depromptas, sed interdum vel terminationes quasdam, dialectis illis proprias, adhibere non recusavit.

Iam primum notatu dignum est semel apud nostram occurrere numerum dualem, quem vel numquam vel raro admisisse Dorienses constat; nam in versu VII. 646. 1 inest accusativus *χεῖρε*. Iure nos monuit Stadtmuellerus Anyten, quum componeret hoc epigiamma, non immemorem fuisse Aeschyli Agamemnonis versuum 1555—1559:

*ἀλλ' Ἰφιγένειά νιν ἀσπασίως*
*θυγάτηρ, ὡς χρή,*
*πατέρ' ἀντιάσασα πρὸς ὠκύπορον*
*πόρθμευμ' ἀχέων*
*περὶ χεῖρε βαλοῦσα φιλήσει.*

Non modo de re simili, de filiae in patrem amore, agit uterque poeta, sed etiam tota illa locutione *περὶ χεῖρε βαλοῦσα* consensu utuntur et Aeschylus et Anyte. Attamen vix crediderim dualis numeri usum mutuatam esse nostram a loco illo Aeschyleo, quum praesertim, si voluisset, facillime pro *χεῖρε* reponere potuisset *χεῖρα*. Tutius igitur mihi videtur formam *χεῖρε* apud utrumque auctorem referre ad communem eorum veterem fontem, ad Homericam poesin.

Etenim aliquoties dualis ille *χεῖρε* in Iliade atque in Odyssea prorsus eandem in versu sedem occupat atque in Anytes hoc epigrammate; est enim versus vocabulum paen-

---

tivo *κάλλευς* desumpserit Anyte ex Homerica poesi. Vid. quos genitivos in *-ευς* recenset Leeuwenius in Enchiridio dictionis epicae. pag. 222.

ultimum et constanter post se habet participium id, a quo pendet. Maxime quidem cum loco Aeschyleo atque cum Anytes verbis:

Λοίσθια δὴ τάδε πατρὶ φίλῳ περὶ χεῖρε βαλοῦσα

convenit Odysseae versus XXI. 223:

κλαῖον ἄρ' ἀμφ' Ὀδυσῆι δαΐφρονι χεῖρε βαλόντε,

quia desinit in idem participium, attamen etiam huc pertinent Homerici versus, quales sunt hi:

Il. XIII. 534. αὐτοκασίγνητος, περὶ μέσσῳ χεῖρε τιτήνας.
Il. XXI. 115. ἔγχος μέν ῥ' ἀφέηκεν, ὁ δ' ἕζετο χεῖρε πετάσσας.
Od. XXIV. 397. ὣς ἄρ' ἔφη· Δολίος δ' ἰθὺς κίε χεῖρε πετάσσας.

Severioris Doridis terminationem -ω in genitivis singularibus nominum secundae declinationis ubique respuisse videtur poetria nostra. Nusquam certe tradita est haec terminatio in eius carminibus, unde fit ut reiciendam censeam coniecturam Scaligeri, qui suasit ut ab initio versus VII. 208. 2 reponeremus Doricum genitivum ἵππω pro traditis lectionibus ἵππου, quam praebet codex P, atque ἵππῳ, quae forma correcta ex ἵππου legitur in Pl$^{M}$. Itaque iure et Jacobsius et Stadtmuellerus in textum receperunt formam ἵππου. Revera duplici ratione conformasse Anyten genitivos singulares eos, de quibus nunc agimus, constat; adsunt enim complures genitivi in -ου, pauci in epicam terminationem -οιο exeuntes. Prioris generis enumerari possunt genitivi hi: θεοῦ (VI. 312. 3), φθιμένου (VII. 208. 1), μενεδαΐου (VII. 208. 1), ἵππου (VII. 208. 2), τοῦδε (VII. 208. 2), ταλαυρίνου (VII. 208. 3), πόντου (VII. 215. 5), ποταμοῦ (VII. 486. 4), ἠπείρου (IX. 144. 2), Βρομίου (IX. 745. 1), ἀζαλέου (XVI. 291. 3). Videmus igitur genitivorum, quos in -ου terminet Anyte, numerum haud ita esse exiguum; contra genitivi ad epicam normam conformati duo tantum pro certo constant. Leguntur autem in duobus his epigrammatis:

VII 486.

Πολλάκι τῷδ' ὀλοφυδνὰ κόρας ἐπὶ σάματι Κλεινὼ
μάτηρ ὠκύμορον παῖδ' ἐβόασε φίλαν,
ψυχὰν ἀγκαλέουσα Φιλαινίδος, ἃ πρὸ γάμοιο
χλωρὸν ὑπὲρ ποταμοῦ χεῦμ' Ἀχέροντος ἔβα.

IX 314.

Ἑρμᾶς τᾷδ' ἕστακα παρ' ὄρχατον ἠνεμόεντα
ἐν τριόδοις, πολιᾶς ἐγγύθεν αἰόνος,
ἀνδράσι κεκμηῶσιν ἔχων ἄμπαυσιν ὁδοῖο·
ψυχρὸν δ' ἀχραὲς κράνα ὑποϊάχει.

Nonne notatu dignum est in utroque carmine plane eandem sedem occupare genitivum in *-οιο* desinentem? Etenim utrobique claudit tertium versum, cuius implet alteram partem dimidiam thesis quinti pedis atque totum sextum pedem. Denuo igitur apparet hoc habere Anyten, ut identidem eadem vocabula vel congruentes vocabulorum formas prorsus iisdem locis in epigrammatis suis collocare adamet. Iam vidimus adverbium *τᾷδε* atque substantivum *αἰών* suas habere sedes in poetriae carminibus. Porro iam dudum animadverterunt viri docti [1]) coniunctionem *ὄφρα*, (quam in deliciis habet Anyte), numquam obvenire in mediis aut extremis versibus, at semper stare a versuum initiis; scilicet plerumque eam incipere tertios versus (IX 144, IX 313,[2]) XVI 231) semel etiam quartum (VI 312). Quibus rebus perpensis vix crediderim forte fortuna esse factum, ut accurate conveniret utriusque genitivi, terminatione *-οιο* conspicui, sedes, quam haberet in carmine. Ceterum nil mirum quod hunc adeo locum assignavit Anyte genitivis *γάμοιο* et *ὁδοῖο*, nam ipse quoque Homerus aliquoties in hexametrorum finibus adhibuit eosdem hos genitivos, ut docet sequens versuum conspectus:

---

1) Cf. Reitzenstein l.l. pag. 130.

2) Mea opinione nemini nisi Anytae dandum esse hoc carmen iam indicavi pag. 97 sq.

Il. V. 429. *ἀλλὰ σύ γ' ἱμερόεντα μετέρχεο Fέργα γάμοιο.*
Od. III. 224. *τῷ κέν τις κείνων γε καὶ ἐκλελάθοιτο γάμοιο.*
Od. XX. 74. *κούρησ' αἰτήσουσα τέλος θαλεροῖο γάμοιο.*
Il. X. 274. *τοῖσι δὲ δεξιὸν ἧκεν ἐρωδιὸν ἐγγὺς ὁδοῖο.*
Il. XXIV. 264. *ταῦτά τε πάντ' ἐπιθεῖτε, ἵνα πρήσσωμεν ὁδοῖο.*
Od. I. 309. *ἀλλ' ἄγε νῦν ἐπίμεινον ἐπειγόμενός περ ὁδοῖο.*
Od. I. 315. *μή μ' ἔτι νῦν κατέρυκε λιλαιόμενόν περ ὁδοῖο.*
Od. II. 404. *ἀλλ' ἴομεν, μὴ δFηθὰ διατρίβωμεν ὁδοῖο.*
Od. III. 284. *ὥς ὁ μὲν ἔνθα κατέσχετ' ἐπειγόμενός περ ὁδοῖο.*
Od. III. 476. *ζεύξαθ' ὑφ' ἅρματ' ἄγοντες, ἵνα πρήσσῃσιν ὁδοῖο.*
Od. IV. 733. *τῷ κε μάλ' ἤ κεν ἔμεινε καὶ ἐσσυμένος περ ὁδοῖο.*
Od. V. 237. *'δῶκε δ' ἔπειτα σκέπαρνον ἐύξοον· ἦρχε δ' ὁδοῖο.*
Od. XV. 47. *ζεῦξον ὑφ' ἅρματ' ἄγων, ὄφρα πρήσσωμεν ὁδοῖο.*
Od. XV. 49. *Τηλέμαχ', οὔ πως ἔστιν ἐπειγομένους περ ὁδοῖο.*
Od. XV. 219. *αὐτοί τ' ἀμβαίνωμεν, ἵνα πρήσσωμεν ὁδοῖο.*

Accedit quod in epica poesi sexcenties alii etiam genitivi trisyllabi in *-οιο*, quorum syllabae antepaenultimae sint breves, reperiuntur in versuum finibus, veluti in Iliade atque Odyssea vicies quinquies versum claudit forma *γόοιο*,[1]) sexiesdecies genitivus *θεοῖο*,[2]) duodecies genitivus *φόβοιο*[3]) nec desunt versus, quos terminant genitivi *πόνοιο, δόμοιο, ποτοῖο, χόλοιο, Κρόνοιο, λίθοιο, νόοιο, φόνοιο, βιοῖο, ῥόοιο, γόνοιο, θόλοιο, κακοῖο, λύκοιο, Νότοιο, τόκοιο.* Licet igitur terminatio *-οιο* vix congruat cum cetera Anytes dialecto, tamen haud ita est mirum poetriam nostram in versuum

---

1) Il. XVIII. 51. XVIII. 316. XXII. 430. XXIII. 10. XXIII. 17. XXIII. 98. XXIII. 108. XXIII. 153. XXIV. 507. XXIV. 524. XXIV. 723. XXIV. 747. XXIV. 761. Od. IV. 103. IV. 113. IV. 183. IV. 758. VIII. 540. XI. 212. XVI. 215. XIX. 213. XIX. 249. XIX. 251. XXI. 57. XXIII. 231.

2) Il. I. 28. I. 53. I. 383. V. 339. X. 50. XX. 268. XXI. 165. XXIV. 259. Od. II. 406. III. 30. V. 193. V. 459. VII. 38. XIV. 327. XIX 296. XXI. 258.

3) Il. V. 272. VI. 97. VI. 278. VIII. 108. XI. 71. XII. 39. XIII. 48. XVI. 356. XVI. 771. XVII. 42. XVII. 597. XXIII. 16.

finibus, raro sane atque parce, deflexisse ad genitivos, quales sint γάμοιο atque ὁδοῖο; hanc enim licentiam quodammodo excusabant crebri versus Homerici in similes genitivorum formas desinentes.

At latius etiam patere usum terminationis -οιο in Anytes poesi iniuria supposuisse mihi videtur Reiskius, qui suasit ut v. VII. 215. 3 scriberemus:

οὐδὲ παρ' εὐσκάλμοιο νεὼς περικαλλέα χείλη,

quam lectionem comprobavit atque in textum recepit Stadtmuellerus. At vero hoc loco tradita non est terminatio Homerica. Concedendum quidem est vix bonum sensum praebere lectiones eas, quas tradiderunt librarii codicis P, e quibus A in parte priore huius versus scripserat περισκαλάμοισι, quod C eraso altero α mutavit in περὶσκαλμοῖσι, attamen necesse non est tentemus coniecturas, quia vera lectio videtur tulisse aetatem et quidem in Suidae melioribus codicibus A et V, qui exhibent lectionem: περὶ σκαρθμοῖσι. Quam lectionem si in textum receperimus, duce Kaibelio praepositionem περί iungemus cum sequentibus accusativis περικαλλέα χείλη, quibus factis optimus evadet sensus.

Necesse igitur non videtur, Jacobsii exemplum secuti, in duas partes divellamus vocabulum περικαλλέα, ut huiusmodi oriatur versus:

οὐδ' ἔτ' ἄρα (s. οὐδ' ἔτ' ἐνὶ s. οὐδ' ἔτι σὺν) σκαρθμοῖσι νεὼς περὶ χάλκεα χείλη

nec magis necessariae videntur eae mutationes, quas proposuit Hermannus, scribens:

οὐδὲ πέρα σκαρθμοῖσι νεὼς περὶ χάλκεα χείλη.

Ceterum etsi tales quoque lectiones longius recedere a tradito textu puto, tamen probabiliores mihi videntur omnibus iis, in quibus ad terminationem Homericam -οιο recurrerunt viri docti, ita ut certo reiciendas censeam, praeter Reiskii lectionem, eas quoque, quas proposue-

runt Heckerus atque Duebnerus, quorum hic scripsit:

*οὐδ' ἔτ' ἐυσκάλμοιο νεὼς περὶ χάλκεα χεῖλη,*

ille vero:

*οὐδ' ἐπ' ἐρισκάλμοιο (s. ἐπ' ἐυσκάλμοιο) νεὼς περικαλλέα χεῖλη.*

Itaque retineamus Suidae praestantiorum codicum lectionem:

*οὐδὲ περὶ σκαρθμοῖσι νεὼς περικαλλέα χεῖλη*

ac ponamus Anyten nusquam nisi in versuum finibus admisisse terminationem *-οιο* idque raro tantum, quae suspicio nostra confirmatur ea etiam re, quod nec in Myrus nec in Niciae, (quorum poetarum sermo maximopere convenit cum Anytes sermone), fragmentis traditus est ullus genitivus in *-οιο*.

In praecedentibus aliquoties iam vidimus haud raro Anyten versuum finibus imitari Homericorum versuum exitus; huius usus luculentum quoque adest exemplum in epigrammate XVI 231, cuius versus primus audit sic:

*Τίπτε κατ' οἰόβατον, Πὰν ἀγρότα, δάσκιον ὕλαν.*

Etenim locutio *δάσκιος ὕλη*, quae bis omnino occurrit in Iliade atque Odyssea, efficit exitum utriusque horum versuum:

Od. V. 470. *εἰ δέ κεν ἐς κλιτὺν ἀναβὰς καὶ δάσκιον ὕλην.*

Il. XV. 273. *τὸν μέν τ' ἠλίβατος πέτρη καὶ δάσκιος ὕλη.*

Propius quidem abest Anytes versiculus ab Odysseae versu exscripto, unde non tantum totam locutionem, verum etiam locutionis casum accusativum repetivisse videtur nostra, attamen Iliadis quoque versum laudatum in memoria haesisse Anytae inde efficias, quod adiectivum *οἰόβατον* prorsus eadem versus sede posuit, qua in convenienti Iliadis versu legitur adiectivum *ἠλίβατος*. Simul autem videmus hanc sibi licentiam sumpsisse Anyten, ut epicam formulam quasi Dorica velaret veste, quum in locum Homericae terminationis *-ην* supponeret Doricam *-αν*, dicens *δάσκιον ὕλαν* pro *δάσκιον ὕλην*.

Ceterum haec vix unius Anytes poeseos dici potest pro-

prietas, quum alii quoque poetae Dorienses, qui eadem, qua nostra, vixerunt aetate ita desumere soleant formulas Homericas, ut ad Doricam dialectum eas accommodent. Veluti Isyllus, poeta Epidaurius, initio versus 18 eius carminis, quod pag. 40 sq. totum exscripsi, adhibuit locutionem: *πάντα μάλ' ἐξείας*, qua locutione quum uteretur, sine dubio memor fuit cum Iliadis versus VI 241, qui ab initio habet haec verba: *πάσας ἑξείης* tum vero etiam Odysseae versuum XI 134 et XXIII 281, in quorum initiis legimus: *πᾶσι μάλ' ἑξείης*. Licet igitur epica poesis magno in honore fuerit apud Dorienses poetas, qui floruerunt priore parte saeculi tertii a. Chr. n., unde sit factum ut, Homerico sermone imbuti, identidem vocabula epica, quin etiam totas Homericorum versuum partes insererent suis carminibus, tamen rursus dederunt operam hi poetae, ne talibus imitationibus obumbrarent Doricam indolem sermonis sui. Haec fuisse causa mihi videtur, cur apud Anyten occurrant praeter locutionem *δάσκιον ὕλαν* hae etiam formae: *δαΐων* (VI. 123. 2), *ἀνορέαν* (VI. 123. 4), *μενεδαΐου* (VII. 208. 1), *οὐλομένα* (VII. 490. 4), pro quibus formis, ab Homericis quidem carminibus repetitis, exhibet vera dialectus epica: *δηΐων*, *ἠνορέην*, *μενεδηΐου*, *οὐλομένη*.

Postremo monebo huiusmodi formas usurpasse videri nostram in ultimo versu epigrammatis VII 208, qui versus in codicibus liber non est a corruptelis, unde fit ut varias eius lectiones proposuerint viri docti. Jacobsius eam recepit lectionem, quae in codice P debetur Correctori, nempe:

*ζέσσ', ἐπὶ δ' ἀργαλέαν βῶλον ἔδευσε φόνῳ.*

Quum tamen *βῶλος* vix dici possit *ἀργαλέα*, alius aliud excogitavit adiectivum, ut huic difficultati succurreretur, veluti *αὐαλέαν* (Jacobsius et Hermannus), *ἀζαλέαν* (Maehly), *ἁρπαλέαν* (Bernhardy), *ἀργιλέαν* (Boiss.); Reitzensteinium [1])

---

[1]) **Epigr. u. Skol. pag. 134.**

Hesychii notitia illa, qua indicat vocabulum *ἀρκαλέον* idem valere atque *ξηρόν*, adegit ut proponeret nostri versus hanc lectionem:

*ζέσσ', ἐπὶ δ' ἀρκαλέαν βῶλον ἔδευσε φόνῳ,*

quam lectionem ut commendaret monuit legentes optime fieri potuisse, ut Anyte respexerit Euripidis Phoenissarum versum 1159:

*ξ η ρ ὰ ν δ' ἔ δ ε υ ο ν γαῖαν αἵματος ῥοαῖς.*

At quamvis sagaciter varia coniecerint viri docti, nemo tamen pristinam revocavit lectionem, quae in codice P latet sub corruptelis. Etenim in hoc codice, antequam huic epigrammati operam navavit Corrector, sic legebatur noster versus:

*ζέσσ', ἐπὶ δ' ἀργαλέαν βῶλον ἔδευσε φόνᾳ,*

ex quibus verbis, a librario A profectis, levibus quibusdam mutationibus allatis Stadtmuellerus effecit lectionem:

*ζέσσ', ἐπὶ δ' ἀργαλέᾳ βῶλον ἔδευσε φονᾷ,*

quam referendam esse putat ad Iliadis versum X 521:

*ἄνδρας τ' ἀσπαίροντας ἐν ἀ ρ γ α λ έ ῃ σ ι φ ο ν ῇ σ ι.*

Quodsi iure suspicatus est Stadtmuellerus hanc esse veram lectionem, denuo nobis erit credendum sic adhibuisse Anyten vocabula epica, ut Doricas terminationes iis affixerit, scribens *ἀργαλέᾳ.... φονᾷ* pro *ἀργαλέῃ.... φονῇ.*

Maior etiam est numerus earum vocum vel locutionum Homericarum, quas dialecto non sollicitata desumpsit Anyte, sive eandem sedem in versu eis assignavit, qua positas invenerat eas in fonte, (id quod praesertim in versuum finibus occurrere aliquoties iam vidimus), sive alio loco atque obtinebant in exemplo eas collocavit. Prioris imitationum generis haec collegi exempla:

Anytes IX. 144. 1.

*Κύπριδος οὗτος ὁ χῶρος, ἐπεὶ φ ί λ ο ν ἔ π λ ε τ ο τήνᾳ.*

Il. XIV. 337.

*ἀλλ' εἰ δή ῥ' ἐθέλεις καί τοι φίλον ἔπλετο θυμῷ.*[1])

Anytes IX. 314. 3.

*ἀνδράσι κεκμηῶσιν ἔχων ἄμπαυσιν ὁδοῖο.*

Il. VI. 261.

*ἀνδρὶ δὲ κεκμηῶτι μένος μέγα Fοῖνος ἀέξει.*

Anytes IX. 745. 3.

*κυδιόων ὅτι οἱ θάμ' ἐν οὔρεσιν ἀμφὶ παρῇδα.*

Il. II. 579.

*κυδιόων, ὅτι πᾶσι μετέπρεπεν ἡρώεσσιν.*[2])

Anytes XVI. 231. 3.

*ὄφρα μοι ἑρσήεντα κατ' οὔρεα ταῦτα νέμοιντο.*

Il. XXIV. 757.

*νῦν δέ μοι ἑρσήεις καὶ πρόσφατος ἐν μεγάροισιν.*

Anytes XVI. 291. 3.

*οὕνεχ' ὑπ' ἀζαλέου θέρεος μέγα κεκμηῶτα.*

Od. X. 31. XIII. 282.

*ἔνθ' ἐμὲ μὲν γλυκὺς ὕπνος ἐπήλυθε κεκμηῶτα.*

Utrumque imitationum genus inest in tribus versibus prioribus epigrammatis VII 486, quod cum componeret Anyte sine dubio memor fuit Iliadis versuum XXIII 102—106, ut iure observat Stadtmuellerus. Videamus modo:

Anytes VII. 486. 1—3.

*Πολλάκι τῷδ' ὀλοφυδνὰ κόρας ἐπὶ σάματι Κλεινὼ*
*μάτηρ ὠκύμορον παῖδ' ἐβόασε φίλαν,*
*ψυχὰν ἀγκαλέουσα Φιλαινίδος, κ. τ. λ.*

---

[1]) Cf. etiam Il. XXIII. 548.

[2]) Huic plurimorum manuscriptorum lectioni editores praeferre solent lectionem Zenodoti et Aristarchi:

*κυδιόων, πᾶσιν δὲ μετέπρεπεν ἡρώεσσιν.*

Il. XXIII. 102—106.

*χερσί τε συμπλατάγησε, Ϝέπος δ' ὀ λ ο φ υ δ ν ὸ ν ἔϜειπε·*
*ὢ πόποι, ἦ ῥά τί ἐστι καὶ ἐν 'ΑϜίδαο δόμοισι*
*ψ υ χ ὴ καὶ Ϝείδωλον, — ἀτὰρ φρένες οὐκ ἔνι πάμπαν, —*
*παννυχίη γάρ μοι Πατροκλέεος δϜειλοῖο*
*ψ υ χ ὴ ἐφειστήκει γοάουσά τε μυρομένη τε.*

Itaque substantivum *ψυχή*, bis ab Homericorum versuum initiis positum, apud Anyten quoque versum incipit, adiectivum vero *ὀλοφυδνός* in imitatione sedem mutavit.

Restat ut recenseam vocabula illa Homerica, quae integra quidem servavit nostra, sed ea tamen ratione in poesi sua adhibuit, ut, cum iis uteretur, nullum certum versum Homericum respexisse videatur. Sunt autem haec: *αἰπύν* (VI. 123. 3), *εὐρύχορος* (VI. 153. 2), *ὡς τὸ πάρος* (VII. 202. 1. cf. Homerica locutio *ὡς τὸ πάρος περ* Il. VII. 370 alibi), *ῥίμφα* (VII. 202. 4), *δαφοινόν* (VII. 208. 2), *ταλαυρίνου* (VII. 208. 3), *περικαλλέα* (VII. 215. 3), *ὠκύμορον* (VII. 486. 2), *μαρνάμενος* (VII. 724. 4), *ὄρχατον* (IX. 314. 1), *ἠνεμόεντα* (IX. 314. 1), *ἐγγύθεν* (IX. 314. 2), *ἠυκόμων* (XVI. 231. 4), *ἀζαλέον* (XVI. 291. 3), *ἀμείλικτον* (App. 6. 4).

Ab Homerico adiectivo *ἀγέρωχος*, quod in Iliade atque Odyssea octies omnino reperitur ac semper ibi claudit versus, Anyte deduxit adverbium *ἀγερώχως* (IX. 745. 1), cui adverbio extremam pariter sedem in versu assignavit.

Quas hucusque enumeravi voces ac locutiones Homericas, in Anytes carminibus obvias, eae abunde ostendere mihi videntur epicae poesi strenue studuisse eam, unde sit factum ut, quum memoria teneret ingentem Homericorum versuum copiam, identidem eorum particulas in sua ipsius carmina transtulerit. Ceterum cavendum nobis est, ne in universum omnia ea vocabula, quae epicam sapiant dialectum, ex ipsis Homericis carminibus in nostrae poetriae epigrammata fluxisse putemus, quoniam nonnullas eiusmodi voces non ex epica poesi, verum e recentioribus

fontibus hausit Anyte. Namque tragica quoque Atticorum poesi magnopere delectabatur nec raro imitata est Aeschyli, Sophoclis, Euripidis locutiones peculiares atque sermonis proprietates. Hoc autem habent tragici illi, ut nonnumquam usurpent voces quasdam ad epicae dialecti normam conformatas, quas tamen frustra quaeras in Homericis carminibus. Quodsi eiusmodi novicia, ut ita dicam, forma epica recurrit apud nostram, dubium non est quin ad Atticorum tragicam musam, non ad epicam poesin sit referenda illa. Veluti primo obtutu credat quis epicam dictionem praebuisse Anytae formam ὄρσεις (VII. 202. 2), attamen iniuria, quia apud Homerum futuri temporis activi a verbo ὄρνυμι nihil est in usu nisi participii forma feminina ὄρσουσα (Il. XXI. 335). Credendum non est Anyten sua sponte a participio ὄρσουσα derivasse convenientem indicativi formam, nam ipsam illam secundam huius indicativi personam invenit apud Sophoclem, qui in Antigone[1]) haec dicentem facit Tiresiam:

ὄρσεις με τἀκίνητα διὰ φρενῶν φράσαι,

qui versus sine dubio ob oculos obversabatur Tegeaeae poetriae, quum caneret:

Οὐκέτι μ' ὡς τὸ πάρος πυκιναῖς πτερύγεσσιν ἐρέσσων
ὄρσεις ἐξ εὐνᾶς κ. τ. λ.

id quod ea etiam re confirmatur, quod apud utrumque poetam novum incipit versum forma ὄρσεις.

De eadem Sophoclis tragoedia nos admonet epigramma VII. 215; cuius cum componeret duos versus priores, qui sic se habent:

Οὐκέτι δὴ πλωτοῖσιν ἀγαλλόμενος πελάγεσσιν
αὐχέν' ἀναρρίψω βυσσόθεν ὀρνύμενος,

Anyte profecto immemor non erat pulcherrimi illius chori cantici, in quo, cum turbido mari comparans mala, quibus afflictatur genus humanum, cantat Sophocles:

---

[1]) v. 1060.

ὅμοιον ὥστε ποντίαις
οἶδμα δυσπνόοις ὅταν
Θρῄσσαισιν ἔρεβος ὕφαλον ἐπιδράμῃ πνοαῖς,
κυλίνδει βυσσόθεν κελαινὰν
θῖνα etc.[1])

Nec mirum quod in deliciis habuit nostra hanc adeo tragoediam, quia fieri non potuit quin gratae acceptaeque ei fuerint laudes muliebris virtutis, quas hac potissimum in fabula praeclarissime dixisse tragicum poetam vix opus est memorare. Sed cetera quoque Atticorum tragicorum opera lectitata esse ab Anyte, unde sit factum ut ex eis etiam haud pauca desumpserit, et quidem imprimis voces ac locutiones minus usitatas, sequens docet conspectus, in quo asterisco sunt notati loci illi, quos antea iam indicavit Reitzensteinius.[2])

* Anytes VI. 123. 1—2.

μηδ' ἔτι λυγρὸν
χάλκεον ἀμφ' ὄνυχα στάζε φόνον δαΐων.

Aeschyli Choeph. 1058.

κἀξ ὀμμάτων στάζουσιν αἷμα δυσφιλές.

Anytes VII. 646. 1—3.

Λοίσθια δὴ τάδε πατρὶ φίλῳ περὶ χεῖρε βαλοῦσα[3])
εἶπ' Ἐρατὼ χλωροῖς δάκρυσι λειβομένα·
Ὦ πάτερ, etc.

Aeschyli Choeph. 500.

καὶ τῆσδ' ἄκουσον λοισθίου βοῆς, πάτερ.

* Anytes VII. 724. 1—2.

δῶμά τε πατρὸς
Φειδία ἐν δνοφερῷ πένθει ἔθου φθίμενος.

---

1) Soph. Antig. vv. 586—591.
2) Epigr. u. Skol. pag. 134.
3) Vid. quae de huius versus parte extrema exposui pag. 102 sq.

Aeschyli Pers. 535 sq.

ἄστυ τὸ Σούσων ἠδ' Ἀγβατάνων
πένθει δνοφερῷ κατέκρυψας.

Anytes VII. 202. 3.

ἦ γάρ σ' ὑπνώοντα σίνις λαθρηδὸν ἐπελθών.

Sophoclis fragm. 230.

Αὐτόλυκον, πολέων κτεάνων σίνιν Ἀργεΐ κοίλῳ.

Anytes VI. 123. 1.

Ἔσταθι τᾷδε, κράνεια βροτοκτόνε, etc.

. Euripidis Iphig. Taur. 384.

αὐτὴ δὲ θυσίαις ἥδεται βροτοκτόνοις.

Anytes VII. 202. 1.

Οὐκέτι μ' ὡς τὸ πάρος πυκιναῖς πτερύγεσσιν ἐρέσσων.

Aeschyli Agamemn. 49–52.

τρόπον αἰγυπιῶν,
οἵτ' ἐκπατίοις ἄλγεσι παίδων
ὕπατοι λεχέων στροφοδινοῦνται
πτερύγων ἐρετμοῖσιν ἐρεσσόμενοι.

Euripidis Iphig. Taur. 288 sq.

ἡ δ' ἐκ χιτώνων αὖ πῦρ πνέουσα καὶ φόνον
πτεροῖς ἐρέσσει, etc.

Anytes VII. 215. 5.

ἀλλά με πορφυρέα πόντου νοτὶς ὦσ' ἐπὶ χέρσον.

Euripidis Hecab. 1259.

ἀλλ' οὐ τάχ', ἡνίκ' ἄν σε ποντία νοτὶς κ. τ. λ.

Anytes VII. 646. 2.

εἶπ' Ἐρατὼ χλωροῖς δάκρυσι λειβομένα.

Euripidis Med. 906.

κἀμοὶ κατ' ὄσσων χλωρὸν ὡρμήθη δάκρυ. [1])

* Anytes IX. 745.

Θάεο τὸν Βρομίου κεραὸν τράγον, ὡς ἀγερώχως
ὄμμα κατὰ λασίαν γαῦρον ἔχει γενύων,

---

1) Anyten respexisse hunc Medeae versum vidit Stadtmuellerus, cuius cf. annot. ad Anytes versum VII. 646. 2.

κυδιόων ὅτι οἱ θάμ' ἐν οὔρεσιν ἀμφὶ παρῇδα
βόστρυχον εἰς ῥοδέαν Ναῒς ἔδεκτο χέρα.

Euripidis Orest. 1532.

ἀλλ' ἴτω ξανθοῖς ἐπ' ὤμων βοστρύχοις γαυρούμενος.

Euripidis Iph. Aul. 186.

φοινίσσουσα παρῇδ' ἐμὰν αἰσχύνᾳ νεοθαλεῖ.

Anytes XVI. 231. 2.

ἁδυβόᾳ τῷδε κρέκεις δόνακι.

Euripidis Bacch. 127. sq.

ἁδυβόᾳ Φρυγίων αὐλῶν
πνεύματι.

Hoc catalogo accurate perlecto nos non fugit nequaquam omnia perinde Atticorum tragicorum opera respexisse Anyten in epigrammatis suis; ab aliis enim tragoediis saepius exempla sibi sumpsisse, alias vero omnino neglexisse videtur. Nescia quidem non sum nos, qui exiguam tantum teneamus partem Anytes carminum, vix pro certo definire posse, quas adeo tragoedias ceteris omnibus praetulerit poetria, quia optime fieri potuit, ut in epigrammatis nunc deperditis usurpaverit voces vel locutiones desumptas ex illis tragoediis, quas non respexisse nobis videtur hodie, attamen hoc certe affirmare nobis licet, magnopere delectatam esse nostram et Sophoclis Antigone et iis inter Aeschyli Euripidisque tragoedias, in quibus primas agant partes Agamemnon vel huius liberi. Nam, uti vidimus, non minus quattuor locos ex Aeschyli Oresteia imitantur Anytes carminum reliquiae nec desunt in iis locutiones, quae referri possint ad Euripidis Orestem, Iphigeniam Tauridensem, Iphigeniam Aulidensem. Tunc praesertim, quum cantabat Anyte liberorum amorem erga parentes aut parentes captos desiderio liberorum mortuorum, memor fuisse videtur summae illius pietatis, qua florere novimus in Attica tragoedia Orestem eiusque sorores.

Unus etiam mihi est memorandus poeta, cum cuius ser-

mone habet quaedam similia Anytes oratio, Simonidem dico. Nota est res Anyten eiusque aequales, quum studerent arti epigrammaticae, ductos esse exemplo Cei poetae; cuius poesis, vel potius, ut dicam accuratius, quae poesis Alexandrina aetate sub eius nomine venditabatur, ita eis obversabatur ob oculos, ut inter eorum epigrammata reperiantur, quae merae sint retractationes carminum Simonideorum. Quum igitur arcte saepe inter se conveniant Simonideorum Anytesque carminum argumenta, minime mirum est, quod etiam quaedam voces ac locutiones, apud Simonidem obviae, recurrunt in Anytes epigrammatis. Veluti cum locutione *τετρυμένα γυῖα*, qua usa est poetria in versu XVI. 228. 1, comparare velim formam *τέτρυσαι*, usurpatam in carmine Simonideo VI 52, quod carmen nostrae ignotum non fuisse inde etiam apparet, quod respexit eius argumentum in componendo epigrammate suo VI 123.[1]) Pariter initium Anytes carminis VII 208:

*Μνᾶμα τόδε φθιμένου μενεδαΐου εἵσατο Δᾶμις*

nobis revocat in memoriam primum versum epigrammatis Simonidei VII 677:

*Μνῆμα τόδε κλεινοῖο Μεγιστία, ὅν ποτε Μῆδοι.*

Sed iam satis est exemplorum, opinor, quibus demonstrem poetriam nostram, interiore cognitione Graecarum litterarum ornatam, sermonis sui materiem variis ex partibus sibi congessisse.

Quomodo autem fit ut farrago illa, in qua agnovimus voces Homericas, locutiones tragicis poetis proprias, vocabula e Simonidea poesi desumpta, minime tamen ingrate sonet auribus nostris, quin etiam propriam quandam prae se ferat indolem, ut ea vel delectemur inter legendum? Huius rei variae esse causae mihi videntur. Primum Anyte semper, quam maxime potuit, Doricae dialecto adaptavit omnia ea, quae mutuata est a scriptoribus, quo-

1) Cf. Reitzenstein. l.l. pag. 123 sq.

rum dialectus ab ipsius erat diversa. Quod quum faceret ex dialectorum diversitate orta est iucunda quaedam sermonis constantia, quae, ut in transitu denuo id moneam, tantum non cogit nos paucis illis locis, ubi in codicibus a librariis traditae sunt formae Ionicae, audacter substituere veras formas Doricas.

Deinde hoc etiam est proprium Anytes sermonis, quod redundat *ἅπαξ εἰρημένοις*, quibus excogitandis magnam dedisse operam videtur poetria. Suidas, qui nonnullas ex his vocibus interpretatus est,[1]) maiorem earum partem silentio praeteriit, quum contra in lexico suo quasi Anytes carminibus propria memoravit quaedam vocabula, minus quidem usitata nec tamen ab ipsa demum poetria ficta. Itaque remotis vocibus illis, quas a vetustioribus auctoribus desumere potuit poetria additisque aliquot vocabulis a Suida neglectis, conspectus Anytes *ἅπαξ εἰρημένων* evadet hic:

| | |
|---|---|
| *κράνεια* | VI. 123. 1., quod substantivum hastae significatione prima - quantum scimus - usurpavit Anyte, post eam eodem adhibuit sensu Nicias VI. 122. 1. |
| *βουχανδής* | VI. 153. 1. |
| *λαθρηδόν* | VII. 202. 3. pro vulgaribus formis *λάθρα* et *λαθραίως*. |
| *ποιφύσσω* | VII. 215. 4. |
| *πινυτάς* | VII. 490. 3., quae vox idem valet atque Homericum substantivum *πινυτή*, quod continetur versibus Il. VII. 289 et Od. XX. 71. |
| *ἀχραής* | IX. 314. 4.[2]) |

[1]) Cf. finis Capitis II.

[2]) In codd. adiectivum *ἀχραής* frustra quaeras in versu IX. 314. 4, qui in cod. P legitur sic:

*ψυχρὸν δ' ἀκραες κράνα ὑποϊάχει.*

in Marciano vero:

*ψυχρὸν δ' εὐκραεῖ κράνα ὑποϊάχει.*

Postquam autem Brunckius proposuit *ἀχραές* pro *ἀκραές* atque Schaeferus *ὑποτροχέει* pro *ὑποϊάχει*, hodie vulgo sic editur versus:

*ψυχρὸν δ' ἄχραες κράνα ὑποτροχέει.*

*οἰόβατος* XVI. 231. 1.
*φριξοκόμας* XVI. 291. 1.
*αὐλιάδες* (*νύμφαι*) XVI. 291. 1.
*φιλόφθογγος* App. 6. 2.
*ποικιλόδειρος* App. 6. 4. [1])

Inter voces recensas imprimis attendendum nobis est ad adiectiva ea, quae ad orationem ornandam atque variegandam excogitasse poetriam apertum est. Nempe semel admoniti eiusmodi adiectivis delectari Anyten, facile videbimus alia quoque multa epitheta ornantia inesse in eius epigrammatis. Inter quae sunt, quae tantopere ei placent, ut identidem ea iteret. Veluti in deliciis habet adiectivum *χλωρός*, quod ter legitur in eius carminum reliquiis, [2]) atque vel sexies apud eam recurrit adiectivum *φίλος*, [3]) quod hic illic, ad Homericum exemplum, inclinat ad sensum pronominis possessivi. Iuxta talia adiectiva alia etiam memorari possunt vocabula, quae saepius occurrant in Anytes poesi, ut coniunctio *ὄφρα*, quam ter vel quater positam esse a versuum initiis supra iam indicavimus, atque substantivum *ὄρνιξ*. [4])

Quod autem nonnullis ex vocabulis illis certum quendam ac constantem locum assignavit poetria in versibus suis, hac de re plura disserere mihi est in animo in sequenti paragrapho.

Sed antequam pergam ad reliqua, sic in pauca conferre velim iudicium meum de Anytes sermone, ut dicam ora-

---

1) Fieri tamen potuit, ut Anyte ipsa non excogitaverit hoc adiectivum, quod ignotus ei non fuerit Hesiodi Oper. et dier. v. 205: *ὧδ' ἴρηξ προσέειπεν ἀηδόνα ποικιλόδειρον*, quo tamen loco Ruhnkenius pro *ποικιλόδειρον* legendum esse *ποικιλόγηρυν* suspicatus est.

2) VII. 486. 4. VII. 646. 2. XVI. 228. 2.

3) VII. 486. 2. VII. 646. 1. VII. 724. 4. IX. 144. 1. IX. 144. 3. XVI. 228. 4.

4) Huius vocis accusativus singularis legitur VI. 123. 2 ac denuo VII. 202. 4.

tionem eius, licet pullulet alienis vocibus ac locutionibus, sua tamen indole non carere, ut audacter affirmare liceat Anyten proprium sibi creasse sermonem atque ita faciendo sedulo cavisse, ne meri fierent centones epigrammata sua.

## § 2. De Anytes re metrica.

Ut sermoni suo immiscuit Anyte haud paucas voces ac locutiones epicas, ita in metrica quoque re nonnumquam Homero usa est duce. Novimus in Homerica poesi brevem vocalem, in vocabuli exitu positam, pro longa haberi, dummodo stet in arsi sequaturque littera liquida. Alexandrinos poetas hac in re saepe imitatos esse Homerum docent crebri illi loci, quales sunt Theocriti versus XXV. 10:

*Αἱ δ' ἱερὸν θείοιο παρὰ ῥόον Ἀλφειοῖο,*

eiusdem versus XXV. 73:

*Τοὺς μὲν ὅγε λάεσσιν, ἀπὸ χθονὸς ἆσσον ἀείρων,*

Callimachi epigrammatis Anth. Gr. XII. 134 versus 3:

*τὸ τρίτον ἡνίκ' ἔπινε, τὰ δὲ ῥόδα φυλλοβολεῦντα,* [1])

Apollonii Rhodii versus I. 383:

*κεκλόμενος δ' ἤυσε μάλα μέγα· τοὶ δὲ παράσσον.*

In Anytes autem carminum reliquiis una adest huiusmodi productio, in versu pentametro IX. 745. 2:

*ὄμμα κατὰ λασίαν γαῦρον ἔχει γενύων.*

Licet in Homericis carminibus nullus adsit versus, qui exhibeat talem productionem ante ipsum vocabulum *λάσιος*, tamen Alexandrina certe aetate illud adiectivum fuisse

---

1) Cf. quae de hoc versu atque de lectionibus *διζῆτο ῥόον ὕδατος, νήσῳ ἐνὶ Λιπάρῃ, ἐπὶ μέγα, εὖτ' οἵ γε ῥαιστῆρας, μάλα μέγαν, ἱερά τε ῥέζουσι, παρὰ ῥόον, Οὖπίς τε Λοξώ τε, ποτὶ ῥόον*, in Callimachi hymnis obviis, exponit G. Heep. Quaestiones Callimacheae metricae pag. 25 sq. Vid. etiam F. Beneke. De arte metrica Callimachi pag. 27.

inter eas voces, ante quas ad Homericum exemplum pro longa haberetur praecedens vocalis, iuxta Anytes versum laudatum ostendit Theocriti versus XXV. 257:

*Αὐτοῦ ἐπὶ λασίοιο καρήατος ἀγριέλαιον.*

Nolite tamen existimare Anyten in universum parere alienis legibus metricis, nam pariter ac proprium sibi paravit sermonis genus, sic in metrica quoque re suam ingressa est viam. Hoc nomine imprimis distat a plerisque suis praecursoribus, aequalibus, imitatoribus, quod in mediis vocabulis tantum non semper observat positionem quamvis debilem. Etenim non solum arsis vi accedente producit breves vocales, quae praecedunt mutam cum liquida, verum etiam in thesi fugere solet correptionem Atticam. Primum nunc percensebo, quibus in vocibus occurrant tales productiones, deinde exponam, quid lucremur ex cognitione huius Anytes poeseos proprietatis.

Vocales natura breves in arsi positae producuntur ante mutam cum liquida his in vocibus: *λῡγρόν* (VI. 123. 1.), *Ἐχεκρατίδα* (VI. 123. 4.), *ἄεθλα* (VI. 312. 3.), *ὄφρα* (VI. 312. 4., IX. 144. 3., XVI. 231. 3.), *ἐγρόμενος* (VII. 202. 2.), *ὑπνώοντα* (VII. 202. 3.), *πᾱτρός* (VII. 490. 2., VII. 724. 1.), *πατρί* (VII. 646. 1.), *δάκρυσι* (VII. 646. 2.), *πέτρος* (VII. 724. 3.), *Κύπριδος* (IX. 144. 1.), *ἔπλετο* (IX. 144. 1.), *κεκμηῶσιν* (IX. 314. 3.), *ψυχρόν* (IX. 314. 4.), *ἀχραές* (IX. 314. 4.), *ὑπο̄προχέει* (IX. 314. 4.), *ἀγρότα* (XVI. 231. 1.), *κεκμηῶτα* (XVI. 291. 3.), *μελιχρόν* (XVI. 291. 4.), *Λοκρί* (App. 6. 2.), *ἐλαφρίζοντι* (App. 6. 3.),[1] in thesi vero debili positione longas usurpavit Anyte vocales his in vocabulis: *πάτρα* (VI. 153. 2.), *λᾱθρηδόν* (VII. 202. 3.), *πέτραν* (XVI. 228. 1.),[2] *τε̄τρυμένα* (XVI. 228. 1.), *ψῡχρόν* (XVI. 228. 3.)

1) In hunc catalogum non recepi formam *ὀλοφυδνά* (VII. 486. 1), quia ante *δν* ne potest quidem brevis servari praecedens vocalis.

2) Praestat tamen hinc removere hanc vocem, pro qua Reitzensteinius (l.l. pag. 130 in annot.) collato Theocrito iure reposuit lectionem *πτελέαν*.

Contra semel tantum admisit correptionem Atticam in media voce, nempe in genitivo *πατρίδος* (VII. 724. 4.). Itaque in Anytes carminibus syllabae continentes vocales breves, quas excipiunt muta et liquida, arsin occupare solent, ac raro tantum positae sunt in thesi; si autem stant in thesi, tantum non semper totam thesin complent. Subducta ratione habemus viginti quattuor productiones in arsi, quattuor vel quinque productiones in thesi, unam correptionem.

Quo magis explanem ipsis Anytes carminum reliquiis peculiarem esse vitationem correptionis Atticae mediis in vocabulis, hoc nomine inter se comparare velim epigrammata Anytes et Mnasalcae. Quem poetam prae ceteris elegi, non solum quia est inter praecipuos Anytes imitatores, sed etiam quod idem fere versuum numerus dari solet huic atque poetriae nostrae. Maior enim fides accedit tali comparationi, si versuum numeri fere sese adaequant, quam si alter numerus multum superat alterum. Uti novimus, epigrammata ea, quae a nullo non tribuuntur Anytae, constant ex 70 versibus; Mnasalcae autem optimis testimoniis vindicantur versus 76, qui continentur his carminibus: VI. 9, VI. 125, VI. 128, VI. 264, VI. 268, VII. 54, VII. 171, VII. 192, VII. 194, VII. 212, VII. 242, VII. 488, VII. 491, IX. 70, IX. 324, IX. 333, XII. 138, App. 53. Quibus in versibus notavi 18 vocales debili positione productas in arsi, his in vocibus: *φαρέτρα* (VI. 9. 1.), *πότνια* (VI. 268. 3.), *ἀγρευταῖς* (VII. 171. 4.), *ἀκρί* (VII. 192. 2.), *κεκλιμένον* (VII. 192. 3.), *ἀκρίδα* (VII. 194. 1.), *ἐλαφρότατον* (VII. 212. 2.), *ἰσόδρομον* (VII. 212. 3.), *πολύδακρυν* (VII. 242. 1.), *κεκλιμένα* (VII. 488. 2., VII. 488. 4.), *δάκρυα* (VII. 488. 3.), *ὀλοόφρονος* (VII. 491. 1.), *ἔκλασας* (VII. 491. 2.), *δάκρυσιν* (VII. 491. 3.), *Ἀφρογένειαν* (α) (IX. 324. 1.), *Κύπριδος* (IX. 333. 2.), *ὕπνον* (XII. 138. 3.), unam tantum productionem in thesi, in substantivo *πᾰτρίς* (VII. 54. 1.), verum decem

correptiones his in vocabulis: *Δημοκρίτου* (VII. 194. 1.), *μέλαθρον* (VII. 194. 4.), *ἔθρεψε* (VII. 212. 2.), *πάτραν* (VII. 242. 1.), *πατρίδος* (VII. 242. 4.), *'Αριστοκράτεια* (VII. 488. 1.), *δάκρυα* (IX. 70. 4.), *ἀγρία* (IX. 324. 4.), *κακόφρων* (App. 53. 4.), *κέκριται* (App. 53. 4.).

Primum igitur hoc discrimen notandum est inter rem metricam Anytes et Mnasalcae, quod poeta saepius quam poetria in thesi collocavit syllabas eas, ad quas pertinet haec disquisitio nostra; deinde autem id etiam interest inter utrumque auctorem, quod Mnasalcas in thesi vitavit productiones, Anyte correptiones. Etenim genitivus *πατρίδος*, qui in Anytes epigrammatis unicum praebet exemplum correptionis Atticae, apud Mnasalcam una cum novem aliis vocabulis, in quibus negligitur debilis positio, adest.

Nec magis ceteris poetis, qui paulo sint recentiores quam Anyte, arrisisse vocales in thesi productas ante mutam cum liquida efficere velim ex Niciae carmine VII 200. Iure nos monuit Reitzensteinius [1]) arctissime convenire hoc epigramma cum Anytes epigrammate VII 202; non solum enim in eodem argumento versatur utrumque carmen, sed verba quoque verbis accurate respondent. Veluti cum adverbio *λαθρηδόν*, quo usa est poetria, comparari potest vocabulum *λαθραίως* apud Nician obvium; hoc tamen interest inter utrumque adverbium, quod syllabam antepaenultimam produxit Anyte, Nicias vero corripuit, ut docet comparatio horum versuum:

VII. 202. 3. *ἦ γάρ σ' ὑπνώοντα σίνις λαθρηδὸν ἐπελθών.*

VII. 200. 3. *χεῖρα γὰρ εἰς ἀραιὰν παιδὸς πέσον, ὅς με λăθραίως.*

Uti sequitur ex praecedentibus, similiter inter se opponi possunt Anytes et Mnasalcae versus hi:

Anytes VI. 153. 2.

*Κλεύβοτος· ἁ πάτρα δ' εὐρύχορος Τεγέα.*

---

1) l.l. pag. 124.

Mnasalcae VII. 242. 1.

*Οἵδε πάτραν πολύδακρυν ἐπ' αὐχένι δεσμὸν ἔχουσαν.*

Itaque iam satis probasse mihi videor poetas paulo recentiores, quorum ars proxime accedit ad Anytes artem, vulgo fugisse productiones illas in thesi, quas haud ita raro adhibuit Anyte. Ab altera autem parte non prorsus desunt indicia, quibus adducamur ut credamus has productiones hic illic occurrere apud nostram in vocabulis aliunde desumptis, licet in ipsis exemplis neglecta sit debilis positio in his vocibus. Supra enim dixi participium *τετρυμένα*, quod continetur Anytes versu XVI. 228. 1, referri posse mihi videri ad formam *τέτρυσαι*, quae legitur in versu tertio carminis Simonidei VI 52; ita tamen sibi assumpsit Anyte vocabulum illud Simonideum, ut produceret reduplicationis syllabam, quam corripuerat vetustior poeta. Namque versus huc pertinentes audiunt sic:

VI. 52. 3. *ἤδη γὰρ χαλκός τε γέρων αὐτά τε τέτρυσαι.*

XVI. 228. 1. *Ξεῖν', ὑπὸ τὰν πέτραν τετρυμένα γυῖ' ἀνάπαυσον.*

Vix igitur casu factum est, ut in Anytes adeo carminibus saepius quam et in antiquioribus et in recentioribus epigrammatis Graecis reperiantur huiusmodi productiones in thesi, siquidem vidimus poetriam semel certe dedita opera immutasse cuiusdam syllabae quantitatem, ut oreretur talis productio. Ceterum ubivis, quantum potuerit, vitasse nostram correptionem Atticam mediis in vocibus magis etiam erit apertum, credo, si accuratius viderimus de syllabis debili positione productis, quae occupant arsin. Ad quas nunc transeo.

Primum autem sermo mihi erit de forma *δάκρυσι*, in versu VII. 646. 2 obvia, qui versus audit sic:

*εἶπ' Ἐρατὼ χλωροῖς δάκρυσι λειβομένα.*

Duce Stadtmuellero supra indicavimus locutionem *χλωροῖς δάκρυσι* probabiliter esse haustam ex Euripidis Medeae versu 906:

κἀμοὶ κατ' ὄσσων χλωρὸν ὡρμάθη δάκρυ.

Sed quidni poetria praeter ipsam locutionem dispositionem quoque verborum transtulit ex Euripide, qui poeta inter adiectivum atque substantivum interposuerat verbi formam, vel, ut dicam aliis verbis, quidni scripsit Anyte:

εἶτ' Ἐρατὼ χλωροῖς λειβομένα δάκρυσιν?

Etenim, qui rei metricae rationem non habeat, vel exspectet hanc verborum dispositionem apud poetriam Tegeaeam, quae in pentametris versibus saepe sic ordinat vocabula, ut exeant hi versus in nomina substantiva claudantque priores versuum partes adiectiva vel pronomina possessiva, ad substantiva illa pertinentia. Ad hanc normam in Anytes carminum reliquiis conformati sunt hi versus:

VI. 312. 2. θέντες καὶ λασίῳ || φιμὰ περὶ στόματι.
VII. 215. 4. ποιφύξω τᾶμᾶ || τερπόμενος προτομᾷ.
VII. 724. 4. ὡς ἔθανες πρὸ φίλας || μαρνάμενος πατρίδος.
IX. 144. 4. δειμαίνει, λιπαρὸν || δερκόμενος ξόανον.
IX. 314. 2. ἐν τριόδοις, πολιᾶς || ἐγγύθεν ἀϊόνος.
IX. 745. 2. ὄμμα κατὰ λασίαν || γαῦρον ἔχει γενύων.
IX. 745. 4. βόστρυχον εἰς ῥοδέαν || Ναῒς ἔδεκτο χέρα.
XVI. 228. 2. ἁδύ τοι ἐν χλωροῖς || πνεῦμα θροεῖ πετάλοις.
XVI. 231. 2. ἵμερος, ἁδυβόᾳ || τῷδε κρέκεις δόνακι.
XVI. 231. 4. πόρτιες ἠυκόμων || δρεπτόμεναι σταχύων.
App. 6. 2. Λοκρί, φιλοφθόγγων || ὠκυτάτα σκυλάκων.[1]

Quod autem in versu VII. 646. 2 recessit Anyte a sueto verborum ordine, etsi hunc commendabat etiam Euripidis,

---

[1] Fieri potest, ut huc etiam pertineant versus VII. 208. 4, quem sic edidit Stadtmuellerus:

ζέστ', ἔτι δ' ἀργαλέα βῶλον ἔδευσε φονᾷ.

atque versus VII. 215. 6, quem sic legendum esse censeo equidem:

κεῖμαι δ' ἀζαλέαν τάνδε παρ' ἀϊόνα.

Quum tamen non constent eorum lectiones, hos versus catalogo inserere nolui.

quem respexit, versus, huius rei nulla alia causa excogitari posse mihi videtur, nisi quod sedulo cavit correptionem Atticam, quae necessario oritur hoc in versu, si inverso ordine ponuntur vocabula *δάκρυσι* et *λειβομένα*. Atque vitatio illa correptionis Atticae in forma *δάκρυσι* eo maioris momenti videri poterit, quod Mnasalcas non recusavit voce *δάκρυα* finire pentametrum versum IX. 70. 4:

*παῦε, ἐπεί σε μένει καὶ κατόπιν δάκρυα.*

Attamen Mnasalcas quoque, si voluisset, facillime fugere potuerat correptionem vocalis *α*, nam levi facta verborum mutatione pro altera parte pentametri scribere licebat: *δάκρυα καὶ κατόπιν*. Verum hoc ipsum a ceterorum poetarum poeticis reliquiis distinguit Anytes epigrammata, quod apud poetriam identidem occupant arsin syllabae debili positione longae, quas syllabas sive in eisdem sive in similibus vocibus semel iterumque, et quidem nulla interdum coacti necessitate, breves relinquunt iuniores poetae, quorum opera quodammodo pendent ex Anytes carminibus. Pertinent autem huc praeter Mnasalcae versum IX. 70. 4 hi etiam loci:

Anytes XVI. 231. 1.

*Τίπτε κατ' οἰόβατον, Πὰν ἀγρότα, δάσκιον ὕλαν.*

Mnasalcae IX. 324. 4.

*καὶ Πόθος· ἁ δ' ἀγρία Μοῦσ' ἐν ὄρει νέμεται.*

Anytes VII. 202. 3.

*ἦ γάρ σ' ὑπνώοντα σίνις λαθρηδὸν ἐπελθών.*

Phaenni VII. 197. 2.

*ἀκρὶς ἀπὸ πτερύγων, τὸν βαθὺν ἆγον ὕπνον.*

Anytes IX. 144. 1.

*Κύπριδος οὗτος ὁ χῶρος, ἐπεὶ φίλον ἔπλετο τήνᾳ.*

Nossidis V. 169. 3.

*τοῦτο λέγει Νοσσίς· τίνα δ' ἁ Κύπρις οὐκ ἐφίλησεν.*

Anytes App. 6. 2.

*Λοκρί, φιλοφθόγγων ὠκυτάτα σκυλάκων.*

Nossidis VII. 718. 3., quem versum Reitzensteinius[1]) legit sic:

*εἰπεῖν ὡς Μούσαισι φίλαν τήνᾳ τε Λοκρὶς γᾶ,*

Stadtmuellerus vero edidit hunc in modum:

*εἰπεῖν, ὡς Μούσαισι φίλα τ' ἦν ἅ τε Λοκρὶς γᾶ.*

Et nunc ne quis mihi obiciat argumentationem meam, qua studui ostendere vulgo vitasse Anyten correptionem Atticam mediis in vocibus, graviter debilitari versu VII. 724. 4., qui contineat formam *πατρίδος* correpta syllaba antepaenultima. Etenim hoc loco facere non potuisse videtur poetria quin admitteret correptionem, quum per metrum neque liceret inverso ordine legere vocabula *μαρνάμενος* et *πατρίδος*, neque confugere ad substantivum synonymum *πάτρα*. Itaque huc redire rem videmus: sicubi Anytae usurpandum est vocabulum, cuius aliqua syllaba contineat vocalem natura brevem, quam excipiant muta et liquida, saepissime in arsi collocatur talis syllaba; sin ponitur in thesi, plerumque ibi quoque producitur, at raro tantum, si nullum patet effugium, corripitur.

Ac ne quis forte putet oleum et operam me perdere, quae tamdiu verser in metricis his quaestionibus, statim addam nos, cognitis Anytes metricis proprietatibus, aptissimum nancisci indicium, quo ducamur ad diiudicanda epigrammata ea, quae a singulis modo testibus, nec communi consensu tribuantur Tegeaeae poetriae. Nam ex his carminibus ab Anyte abiudicanda videntur omnia ea, in quibus violantur leges metricae illae, quas ab Anyte observari solere novimus. Verum hac de re plura in sequenti paragrapho; nunc redeamus ad propositum.

Quod apud Anyten syllabae, vocalem debili positione longam continentes, multo saepius occupant arsin quam thesin, huius rei causam, siminus unicam attamen praeci-

---

1) l.l. pag. 137.

puam, perspicere mihi videor. Namque spondeos, quos semper esse alienos a pentametrorum versuum parte altera vix opus est memorare, ceteris quoque locis parce tantum adhibuit poetria, ut optime apparet in epigrammatis VII. 724 et IX. 745, in quibus nullus omnino inest spondeus. Praesertim in hexametris ab usu spondeorum abstinuit nostra, ut satis magnus sit numerus eorum versuum, in quibus quini dactyli sese excipiant, id quod sequens docet conspectus:

VI. 123. 1. *Ἕσταθι τᾷδε, κράνεια βροτοκτόνε, μηδ' ἔτι λυγρόν.*
VI. 123. 3. *ἀλλ' ἀνὰ μαρμάρεον δόμον ἥμενα αἰπὺν Ἀθάνας.*
VII. 202. 1. *Οὐκέτι μ' ὡς τὸ πάρος πυκιναῖς πτερύγεσσιν ἐρέσσων.*
VII. 208. 1. *Μνᾶμα τόδε φθιμένου μενεδαΐου εἵσατο Δᾶμις.*
VII. 486. 1. *Πολλάκι τῷδ' ὀλοφυδνὰ κόρας ἐπὶ σάματι Κλεινώ.*
VII. 490. 1. *Παρθένον Ἀντιβίαν κατοδύρομαι, ἇς ἐπὶ πολλοί.*
VII. 646. 1. *Λοίσθια δὴ τάδε πατρὶ φίλῳ περὶ χεῖρε βαλοῦσα.*
VII. 646. 3. *Ὦ πάτερ, οὔ τοι ἔτ' εἰμί, μέλας δ' ἐμὸν ὄμμα καλύπτει.*
VII. 724. 1. *Ἦ ῥα μένος σε, Πρόαρχ', ὤλεσ' ἐν δαΐ, δῶμά τε πατρός.*
VII. 724. 3. *ἀλλὰ καλόν τοι ὕπερθεν ἔπος τόδε πέτρος ἀείδει.*
IX. 144. 1. *Κύπριδος οὗτος ὁ χῶρος, ἐπεὶ φίλον ἔπλετο τήνᾳ.*
IX. 745. 1. *Θάεο τὸν Βρομίου κεραὸν τράγον, ὡς ἀγερώχως.*
IX. 745. 3. *κυδιόων ὅτι οἱ θάμ' ἐν οὔρεσιν ἀμφὶ παρῇδα.*
XVI. 291. 1. *Φριξοκόμᾳ τόδε Πανὶ καὶ αὐλιάσιν θέτο Νύμφαις.*

Tria nos docet haec versuum enumeratio: primum longe maiorem 14 horum versuum dactylicorum partem esse versus initiales, deinde, si cuius carminis versus tertius quinque exhibeat dactylos, semper eiusdem primum versum ad eandem normam esse conformatum, postremo, quoniam omnino adsint 35 versus hexametri, e quinis hexametris binos vacare spondeis. Admisit autem poetria singulos spondeos in 15 his versibus:

VI. 153. 1. *Βουχανδὴς ὁ λέβης· ὁ δὲ θεὶς Ἐριασπίδα υἱός.*

VI. 153. 3. τᾶ θάνᾳ δὲ τὸ δῶρον· Ἀριστοτέλης δ' ἐπόησεν.
VI. 312. 1. Ἡνία δή τοι παῖδες ἐνί, τράγε, φοινικόεντα.
VI. 312. 3. ἵππια παιδεύουσι θεοῦ περὶ ναὸν ἄεθλα.
VII. 208. 3. τέψε· μέλαν δέ οἱ αἷμα ταλαυρίνου διὰ χρωτός.
VII. 215. 1. Οὐκέτι δὴ πλωτοῖσιν ἀγαλλόμενος πελάγεσσιν.
VII. 215. 3. οὐδὲ περὶ σκαρθμοῖσι νεὼς περικαλλέα χείλη.
VII. 215. 5. ἀλλά με πορφυρέα πόντου νοτὶς ὦσ' ἐπὶ χέρσον.
VII. 486. 3. ψυχὰν ἀγκαλέουσα Φιλαινίδος, ἃ πρὸ γάμοιο.
VII. 490. 3. κάλλευς καὶ πινυτᾶτος ἀνὰ κλέος. ἀλλ' ἐπὶ πάντων.
IX. 144. 3. ὄφρα φίλον ναύτῃσι τελῇ πλόον· ἀμφὶ δὲ πόντος.
XVI. 231. 1. Τίπτε κατ' οἰόβατον, Πὰν ἀγρότα, δάσκιον ὕλαν.
XVI. 231. 3. ὄφρα μοι ἑρσήεντα κατ' οὔρεα ταῦτα νέμοιντο.
XVI. 291. 3. οὕνεχ' ὑπ' ἀζαλέου θέρεος μέγα κεκμηῶτα (versus spondiacus).
App. 6. 1. Ὤλεο δή ποτε, Μαῖρα, πολύρριζον παρὰ θάμνον.

Notemus et in postremo hoc catalogo semel iterumque accurate sibi respondere eiusdem carminis primum versum ac tertium; veluti in utroque hexametro epigrammatis VI. 153 primam sedem occupat spondeus, secundum vero locum obtinet in primis ac tertiis versibus epigrammatum VI. 312 et VII. 215.

Itaque septem percenseri possunt Anytes carmina, in quibus brevium ac longarum syllabarum ordinem, in primo versu obvium, accurate imitatur versus tertius; sunt autem haec: VI. 123, VI. 153, VI. 312, VII. 215, VII. 646, VII. 724, IX. 745. Sine dubio maior etiam esset horum carminum numerus, nisi interdum ipsae verborum coniunctiones obstitissent, quominus cum primo versu congrueret tertius. Veluti non dubito quin, si fieri potuisset, initio versus VII. 490. 3 vitatura fuerit Anyte formam spondiacam *κάλλευς*; quae forma non tantum est aliena a pristina Dorica dialecto, quae requirit *κάλλεος*, verum etiam quodammodo pugnat cum tota natura carminis VII. 490, in quo carmine

et prior hexameter et uterque pentameter liberi sunt a spondeis. Persuasum mihi est Anyten nonnisi necessitate coactam confugisse ad genitivum insolitum *κάλλευς*, quum ante copulam *καί* abstinendum ei esset a forma dactylica *κάλλεος*, ne a cretico inciperet versus.

Id certe affirmare licebit Anyten parce tantum atque hic illic potius coactam quam sua sponte in hexametros suos admisisse pedes spondiacos. Quare fit ut v. XVI. 228. 1 traditae lectioni:

*Ξεῖν', ὑπὸ τὰν πέτραν τετρυμένα γυῖ' ἀνάπαυσον*

praeferam lectionem:

*Ξεῖν', ὑπὸ τὰν πτελέαν τετρυμένα γυῖ' ἀνάπαυσον,*

quam proposuit Reitzensteinius, [1]) collato Theocriti versu I. 21:

*Δεῦρ' ὑπὸ τὰν πτελέαν ἑσδώμεθα, τῶ τε Πριήπω.*

Etenim non solum meliorem sic nanciscimur sententiam, quia revera in his ac talibus carminibus vulgo invitantur viatores, ut considant in arborum umbra, id quod ostendit Niciae epigrammatis IX 315 versus primus:

*Ἵζευ ὑπ' αἰγείροισιν, ἐπεὶ κάμες, ἐνθάδ' ὁδῖτα,*

sed ea quoque re sese commendat Reitzensteinii lectio, quod tollit spondeum, qui sede altera occurrit in vulgari lectione.

Contra, ut obiter hoc addam, acquiescere nequeo in ea lectione, quam primo versu epigrammatis IX 313, (quod carmen ab ipsa Anyte esse profectum mox demonstrare est in animo), constituit idem auctor. [2]) Quid enim? Duplici ratione hic versus traditus est in codicibus, e quibus Palatinus sic eum exhibet:

---

[1]) Eo minus gravor locutionem *ὑπὸ τὰν πτελέαν* e Theocriti versu I 21 cum Reitzensteinio (l.l. pag. 130 in annot.) transferre in Anytes carmen XVI 228, quod eiusdem Theocriti poematis versus 4:

*Αἴκα τῆνος ἕλῃ κεραὸν τράγον, αἶγα τὺ λαψῇ*

in memoriam nobis revocat poetriae nostrae versum IX. 745. 1:

*Θάεο τὸν Βρομίου κεραὸν τράγον, ὡς ἀγερώχως.*

[2]) Epigr. u. Skol. pag. 124 infra.

Ἵζεν ἅπας ὑπὸ καλὰ δάφνας εὐθαλέα φύλλα,

Marcianus vero hanc profert lectionem:

Ἵζεν ἅπας ὑπὸ τῆσδε δάφνης εὐθαλέα φύλλα.

Quum autem vocabulum ἅπας vix recte se habeat ac praeterea iuxta substantivum δάφνας aegre desideretur articulus aut pronomen demonstrativum, Reitzensteinius auctor est ut legamus hoc loco:

Ἵζεν τᾶσδ' ὑπὸ καλὰ δάφνας εὐθαλέα φύλλα.

At sublata voce ἅπας imperativus ἵζευ efficit spondeum, qui eo minus probandus videtur, quod alter iam spondeus inest in eodem versu sede quarta. Ceterum facili opera fugere possumus hanc difficultatem dummodo pro ἵζευ scribamus ἵζεο, quam scripturam commendat etiam imperativus θάεο, qui legitur ab initio Anytes epigrammatis IX 745.

Sed redeamus ad ea epigrammata, quae Anytae esse vindicanda pro certo constat, ac videamus quot spondei reperiantur in iis hexametris, qui continentur neutro catalogo nostro. Si versu XVI. 228. 1 pro tradito substantivo πέτραν substituimus lectionem πτελέαν, ita ut et hic versus secundo catalogo sit inserendus, quinque tantum versus restant binos pluresve spondeos continentes; sunt autem hi:

VII. 202. 3. ἦ γὰρ σ' ὑπνώοντα σίνις λαθρηδὸν ἐπελθών.
IX. 314. 1. Ἑρμᾶς τᾷδ' ἕστακα παρ' ὄρχατον ἠνεμόεντα.
IX. 314. 3. ἀνδράσι κεκμηῶσιν ἔχων ἄμπαυσιν ὁδοῖο.
XVI. 228. 3. πίδακά τ' ἐκ παγᾶς ψυχρὸν πίε· δὴ γὰρ ὁδίταις.
App. 6. 3. τοῖον ἐλαφρίζοντι τεῷ ἐγκάτθετο κώλῳ.

Itaque unus tantum hexameter tres continet spondeos; in reliquis omnibus numerus spondeorum tribus est minor.

Nec latius patet spondeorum usus in pentametrorum partibus prioribus, nam si hos quoque versus pro spondeorum usu distribuamus in tres catalogos, appareat eorum 15 prorsus carere spondeis, 14 continere singulos, 6 binos spondeos. Ex quo intelligitur fere totidem occurrere spon-

deos in pentametris, quot in hexametris; his enim versibus 27, illis 26 spondei continentur. Porro, ut in nonnullis epigrammatis versus tertius conformatus est ad normam primi versus, sic non desunt carmina, quorum versus pentametri accurate sibi respondeant, quod attinet ad dactylorum et spondeorum usum. Huc enim non tantum pertinent epigrammata VII 724 et IX 745, quae nullum omnino continere spondeum supra iam diximus, sed etiam carmina VII. 490, XVI. 231, VI. 312, App. 6, quorum duo priora nullum exhibent spondeum in secundis et quartis versibus, tertium a spondeo incipit utrumque pentametrum, postremum vero secunda utriusque versus sede habet spondeum. Quodsi in aliquo carmine, cuius tertius versus convenit cum primo, simul etiam pentametri sibi respondent, magna adest metrica constantia in tali epigrammate. Cuius constantiae optimum praebet exemplum carmen VI. 312, in quo omnes quattuor versus singulos continent spondeos, qui ita sunt ordinati, ut in primo ac tertio versu occupent secundas sedes, in pentametris vero primas. Namque illud carmen audit sic:

Ἡνία δή τοι παῖδες ἐνί, τράγε, φοινικόεντα
θέντες καὶ λασίῳ φιμὰ περὶ στόματι
ἵππια παιδεύουσι θεοῦ περὶ ναὸν ἄεθλα,
ὄφρ' αὐτοὺς ἐφορῇ νήπια τερπομένους.

Dedita opera paulo uberius exposui de Anytes poeseos metrica hac proprietate, cuius, nisi fallor, in posterum, tunc praesertim, quum coniecturis tentandus videbitur aliquis locus, maior ratio erit habenda quam hucusque haberi solebat. Dabo exemplum. In epigrammate supra exscripto non prorsus constat ultimi versus lectio, quia verbum ἐφορῇ, quod in textum recepit Stadtmuellerus, debetur Heckeri coniecturae. Pro qua voce Pl$^{M}$ praebet φορέῃς, quae forma etiam est pristina lectio codicis P, manu scribae A exarata. Hac imprimis de causa non acquievisse videtur

Stadtmuellerus in Planudearum editionum lectione φορέῃς, quod in codice P Correctoris opera pristina lectio abiit in φ᾽ ορέῃς. Id autem non concedo novissimo editori, Heckeri lectioni fortasse anteponendam esse lectionem φρουρῇ, quam ipse proponit in annotationibus. Nam huiusmodi forma spondiaca male disturbaret epigrammatis nostri metricam illam constantiam, quam intactam relinquunt ceterae omnes et codicum et editorum lectiones.

Ut intra fines unius epigrammatis pedibus spondiacis certas sedes assignare solet Anyte, similiter, quas voces habet in deliciis, eas variis in carminibus eisdem locis iterare amat. Plerumque talia vocabula iisdem sedibus exhibent plurium carminum versus convenientes, attamen interdum etiam alio in epigrammate alius hexameter aut rursus alius pentameter alio in carmine. Supra iam indicavi adverbium τᾷδε, quod bis occurrit apud nostram, et in epigrammate VI 123 et in carmine IX 314 stare ab initio secundi pedis primi versus; duos pentametros versus, VII. 215. 6 et IX. 314. 2, finiri substantivi ἀϊόνος casibus obliquis; coniunctionem ὄφρα locum habere a versuum initiis et quidem vulgo incipere tertios versus (IX. 144, IX. 313, XVI. 231). Multa alia quoque adesse exempla talium repetitionum sequens ostendit conspectus:

VI. 123. 3. ἀλλ᾽ ἀνὰ μαρμάρεον δόμον ἥμενα αἰπὺν ᾿Αθάνας.
VII. 215. 5. ἀλλά με πορφυρέα πόντου νοτὶς ὧσ᾽ ἐπὶ χέρσον.
VII. 724. 3. ἀλλὰ καλόν τοι ὕπερθεν ἔπος τόδε πέτρος ἀείδει.
VII. 202. 1. Οὐκέτι μ᾽ ὡς τὸ πάρος πυκιναῖς πτερύγεσσιν ἐρέσσων.
VII. 215. 1. Οὐκέτι δὴ πλωτοῖσιν ἀγαλλόμενος πελάγεσσιν.
VII. 646. 3. Ὦ πάτερ, οὔ τοι ἔτ᾽ εἰμί, μέλας δ᾽ ἐμὸν ὄμμα καλύπτει.
VII. 724. 3. ἀλλὰ καλόν τοι ὕπερθεν ἔπος τόδε πέτρος ἀείδει.[1]

[1]) Versus VII. 646. 3 et VII. 724. 3 inter se iam comparavit Stadtmuellerus in annotationibus ad carmen VII 724.

IX. 745. 3. *κυδιόων ὅτι οἱ θάμ' ἐν οὔρεσιν ἀμφὶ παρῇδα.*
XVI. 231. 3. *ὄφρα μοι ἑρσήεντα κατ' οὔρεα ταῦτα νέμοιντο.*
VI. 312. 2. *θέντες καὶ λασίῳ φιμὰ περὶ στόματι.*
IX. 745. 2. *ὄμμα κατὰ λασίαν γαῦρον ἔχει γενύων.*
VII. 646. 2. *εἶπ' Ἐρατὼ χλωροῖς δάκρυσι λειβομένα.*
XVI. 228. 2. *ἁδύ τοι ἐν χλωροῖς πνεῦμα θροεῖ πετάλοις.*
VII. 486. 2. *μάτηρ ὠκύμορον παῖδ' ἐβόασε φίλαν.*
XVI. 228. 4. *ἄμπαυμ' ἐν θερμῷ καύματι τοῦτο φίλον.*
VI. 312. 1. *Ἡνία δή τοι παῖδες ἐνί, τράγε, φοινικόεντα.*
VII. 215. 1. *Οὐκέτι δὴ πλωτοῖσιν ἀγαλλόμενος πελάγεσσιν.*
VII. 646. 1. *Λοίσθια δὴ τάδε πατρὶ φίλῳ περὶ χεῖρε βαλοῦσα.*[1]
App. 6. 1. *Ὤλεο δή ποτε, Μαῖρα, πολύρριζον παρὰ θάμνον.*
VI. 312. 1. *Ἡνία δή τοι παῖδες ἐνί, τράγε, φοινικόεντα.*
IX. 745. 1. *Θάεο τὸν Βρομίου κεραὸν τράγον, ὡς ἀγερώχως.*
VII. 208. 2. *ἵππου, ἐπεὶ στέρνον τοῦδε δαφοινὸν Ἄρης.*
VII. 215. 6. *κεῖμαι δὲ ῥαδινὰν τάνδε παρ' ἀιόνα.*
XVI. 231. 2. *ἥμενος, ἁδὺ βοᾷ τῷδε κρέκεις δόνακι.*

Fit etiam nonnumquam, ut duobus in carminibus easdem occupent sedes diversa quidem vocabula, quae tamen multa habeant similia, quod et attineant ad idem verborum genus et conveniant syllabarum numero et quantitatibus. Veluti adverbia *βυσσόθεν* et *ἐγγύθεν* eodem occurrunt loco his in versibus:

VII. 215. 2. *αὐχέν' ἀναρρίπτω βυσσόθεν ὀρνύμενος.*
IX. 314. 2. *ἐν τριόδοις, πολιᾶς ἐγγύθεν ἀιόνος.*

Deinde pentametrorum versuum pars altera semel iterumque hanc induit formam, ut contineat participium

---

[1]) Stadtmuellerus in notis ad epigramma VII 646 memorans voculam δή, omissam in cod. P, a Planude esse restitutam, addit Planudeam lectionem confirmari his versuum initiis: VII. 189. 1 Aristodici Rhodii: Οὐκέτι δή σε, λίγεια, VII. 192. 1 Mnasalcae: Οὐκέτι δὴ πτερύγεσσι, VII. 200. 1 Niciae: Οὐκέτι δὴ τανύφυλλον, VII. 201. 1 Pamphili: Οὐκέτι δὴ χλωροῖσιν. At vero miror quod vir doctissimus ad alienos versus recurrit, quum apud ipsam Anyten aliquoties eadem sede adsit vocula δή.

Medii aut Passivi, quattuor syllabas amplexum, quod participium aut praecedat aut sequatur vox trisyllaba. Versus huc pertinentes sunt hi:

VI. 312. 4. *ὄφρ' αὐτοὺς ἐφόρει νήπια τερπομένους.*
VII. 202. 2. *ὄρσει ἐξ εὐνᾶς ὄρθριος ἐγρόμενος.*
VII. 215. 2. *αὐχέν' ἀναρρίψω βυσσόθεν ὀρνύμενος.*
VII. 646. 2. *εἶπ' Ἐρατὼ χλωροῖς δάκρυσι λειβομένα.*
VII. 215. 4. *ποιφύξω τἀμᾷ τερπόμενος προτομᾷ.*
VII. 724. 4. *ὡς ἔθανες πρὸ φίλας μαρνάμενος πατρίδος.*
IX. 144. 4. *δειμαίνει, λιπαρὸν δερκόμενος ξόανον.*
XVI. 231. 4. *πόρτιες ἠυκόμων δρεπτόμεναι σταχύων.*

Postremum id etiam nobis revocemus in memoriam unica substantiva, in quibus constat terminatio Homerica *-οιο*, *γάμοιο* et *ὁδοῖο*, eodem collocata esse loco in epigrammatis VII 486 et IX 314. Quorum carminum tertii versus sic se habent:

VII. 486. 3. *ψυχὰν ἀγκαλέουσα Φιλαινίδος, ἃ πρὸ γάμοιο.*
IX. 314. 3. *ἀνδράσι κεκμηῶσιν ἔχων ἄμπαυσιν ὁδοῖο.*

Anyten dedita opera identidem eisdem vocabulis assignavisse easdem sedes suis in carminibus Myrus etiam et Niciae, fidorum eius sectatorum, confirmare videntur versus aliquot. Nam sane, si videmus Myrus epigrammatis VI 189 versum postremum:

*εἵσαθ' ὑπαὶ πιτύων ὔμμι, θεαί, ξόανα,*

exire in idem substantivum, quod claudit Anytes carmen IX 144, cuius ultimus versus est hic:

*δειμαίνει, λιπαρὸν δερκόμενος ξόανον,*

suspicari licet substantivum illud saepius eodem loco a Tegeaca poetria esse iteratum, atque ea re adactam esse eius imitatricem, ut suum quoque epigramma finiret hoc vocabulo.

Pariter animadverti substantivum *πέταλον*, quo semel usus est quisque ex tribus nostris poetis, semper claudere versus pentametros nec usquam alibi occurrere

in eorum carminum reliquiis; cantavit enim Anyte:
XVI. 228. 2. *ἁδύ τοι ἐν χλωροῖς πνεῦμα θροεῖ πετάλοις.*

Nicias:

VII. 200. 4. *μάρψεν ἐπὶ χλωρῶν ἑζόμενον πετάλων.*

Myro:

VI. 119. 4. *φύσει ὑπὲρ κρατὸς νεκτάρεον πέταλον.*

Denuo igitur proclivis est coniectura substantivum quoque *πέταλον* esse inter eas voces, quibus certas assignaverit Anyte sedes suis in poematis.

Praeterea inter se comparari velim hos etiam versus:

VII. 646. 1. Anytes:

*Λοίσθια δὴ τάδε πατρὶ φίλῳ περὶ χεῖρε βαλοῦσα.*

VI. 119. 3. Myrus:

*οὐδ' ἔτι τοι μάτηρ ἐρατὸν περὶ κλῆμα βαλοῦσα.*

IX. 745. 4. Anytes:

*βόστρυχον εἰς ῥοδέαν Ναῒς ἔδεκτο χέρα.*

VI. 189. 2. Myrus:

*ἀμβρόσιαι ῥοδέοις στείβετε ποσσὶν ἀεί.*

Sed, licet plures etiam versus, eadem aut similia vocabula eodem loco exhibentes, enumerari possint, malo finem imponere huic catalogo, verita ne taedium capiat legentes. Ceterum tantam laudavi versuum copiam, non solum eo consilio, ut luculenter ostenderem certorum verborum constantes illas repetitiones tam ipsius Anytes quam Myrus et Niciae poesi esse proprias, verum enim vero hunc etiam ad finem, ut monerem cavendum nobis esse, ne in horum poetarum carminibus audacius vexemus codicum lectiones. Fieri enim potest, ut in aliquo versu locutio quaedam, quam primo obtutu vix recte se habere putes, sit retinenda hac de causa, quod alibi eadem versus sede legatur aut eadem aut similis saltem locutio. Veluti, si memoria tenebimus Anytes epigrammatis IX 745 ultimum versum, de quo modo vidimus, non dubitabimus quin in Myrus epigrammate VI 189, cuius duo priores versus audiunt sic:

*Νύμφαι ' Ανιγριάδες, ποταμοῦ κόραι, αἳ τάδε βένθη*
*ἀμβρόσιαι ῥοδέοις στείβετε ποσσὶν ἀεί,*

altero versu sit probanda tradita lectio *ῥοδέοις*, quamvis displicuerit nonnullis viris doctis. Nam mirum non est quod idem epitheton, quo ornaverat Anyte Naidis manum, ad nympharum pedes transtulit eius imitatrix, siquidem saepius in Graeca lingua eadem vocabula, quae valent in manus, adhibentur etiam de pedibus, ita ut a vero aberrasse videantur et Bothius, qui in priore secundi versus parte proposuit lectionem: *ἀμβροσίοις ῥόδεαι* et Wakefieldius, qui pro *ῥοδέοις* maluit legere *ῥαδινοῖς*.

Contra cuivis apertum erit saepe comparationem similium versuum ad verum nos ducere, si quo loco turbata aut inquinata sit pristina lectio. Neque tunc necesse videtur semper aut meros hexametros aut nullos nisi pentametros versus inter se comparare, quia et inter utriusque generis versus nonnumquam similis intercedit ratio ac vidimus intercedere inter versus ad idem genus attinentes. Cui rei indicio est coniunctio *ὄφρα*, quae, etsi vulgo incipit tertios versus, semel tamen apud Anyten invenitur ab initio quarti versus, in epigrammate VI 312, cuius posterior pentameter sic se habet:

*ὄφρ' αὐτοὺς ἐφορῇ νήπια τερπομένους.*

Nec praeter morem illam coniunctionem hanc occupare sedem confirmat Niciae epigrammatis IX 564 ultimus versus:

*ὄφρα τεὸς πλήθῃ κηροπαγὴς θάλαμος.*

Item conveniunt initia horum quoque versuum:

VII. 486. 1. Anytes:

*Πολλάκι τῷδ' ὀλοφυδνὰ κόρας ἐπὶ σάματι Κλεινώ.*

XVI. 188. 4. Niciae:

*πολλάκι, καὶ θαλεροὺς θῆκαν ἴων στεφάνους.*

Sunt autem adhuc in Anytes et Niciae carminibus loci quidam, quibus nondum reddita esse videtur vera ac

pristina lectio nec ab re puto quaerere possimusne fortasse aliquam lucem eis afferre ex comparatione cum aliis eorundem poetarum versibus.

Apud Anyten vix ullius alius versus tot propositae sunt variae lectiones, quot ep. VII. 215 pentametri finalis. Qui in codice P audit sic:

κεῖμαι δὲ ῥαδινὰν τάνδε παρ' ᾐόνα,

quam lectionem in textum recepit Stadtmuellerus, etsi et ipse dubitat an aliqua coniectura sit opus, ut hoc e versu sanus eliciatur sensus. Ac sane levis illa correctio, supra memorata, qua pro ᾐόνα reponitur Dorica forma ἀϊόνα, non unica est mutatio, quae necessaria videtur hoc loco. Namque miro modo cum substantivo αἰών iungitur adiectivum ῥαδινός, quod vulgo adhiberi de rebus exilibus et tenuibus docet Niciae versus VII. 200. 2:

τέρψομ' ἀπὸ ῥαδινῶν φθόγγον ἱεὶς πτερύγων,

in quo cicadae pennae dicuntur ῥαδιναί.

Quum igitur adiectivum ῥαδινός, quo reliquis in epigrammatis abstinet Anyte, non quadret in contextum versus VII. 215. 6, iam pridem varia tentaverunt viri docti, ut sanarent hunc locum. Vetustissima coniectura, quae legitur in margine ap. Buh., debetur Salmasio, qui pro δὲ ῥαδινὰν substituere voluit δ' ἐν ῥαχίᾳ. Damnanda autem est haec coniectura propterea quod substantivum ῥαχία, cuius forma Ionica est ῥηχίη,[1] producit syllabam antepaenultimam,[2] ita ut forma cretica ῥαχίᾳ aliena sit a metro elegiaco. Eadem de causa reiciendae sunt lectio Graefii κεῖμαι δὲ ῥαχίαν τάνδε παρ' ἀονίαν atque Schmidtii lectio κεῖμαι δὲ ῥαχίαν τάνδε παρ' ᾐονίαν.

E reliquis coniecturis nimis temeraria videtur correctio Geistii, qui voce ἡμερίδα finire voluit pentametrum nostrum. Etenim in fine huius versus utique retinendum esse tradi-

---

1) Genitivus ῥηχίης occurrit apud Herodotum VIII. 129.

2) Cf. Aeschyl. Prometh. vs. 713.

tum substantivum αἰών ostendit Anytes versus IX. 314. 2:

ἐν τριόδοις, πολιᾶς ἐγγύθεν ἀϊόνος.

Pariter nimis longe est quaesita altera ex duabus coniecturis, quas debemus Jacobsio, eam volo, ex qua prior versus pars indueret formam: κοιμῶμαι δ' ἀδινόν.

Huc enim redire puto rem, ut, in locum adiectivi ῥαδινός substituto alio adiectivo, quod melius conveniat in substantivum ἀϊών, nihil praeterea sit mutandum aut corrigendum. Nec tamen mihi placet Graefii lectio altera: κεῖμαι δὲ ῥακελὰν τάνδε παρ' αἰόνα, nam adiectivum ῥακελός non magis mihi satisfacit quam κροκαλός, quod a Tullii Laureae epigrammate VII 294 repetivit Brunckius, [1]) aut σταθερός, quod ex ep. adesp. IX. 32 v. quarto:

χεῦμα, καὶ ἐκ σταθερῶν ἥρπασεν ἠϊόνων

huc transponere voluit Stadtmuellerus.

Namque illa adiectiva ideo amplecti non ausim, quod neque apud ipsam Anyten neque apud eos poetas, quorum ars proxime accedit ad eius artem, usquam alibi occurrunt. Idem valet de adiectivis ῥαντός, εἰνάλιος, ῥόθιος, κραναός, ad quae recurrerunt Jacobsius, Schmidtius, Schneidewinius, Meinekius atque etiam de Boissonadii coniectura: δ' ἄρ' ἁλίαν.

Subiit autem me cogitatio fortasse nobis esse recurrendum ad ipsius Anytes versum XVI. 291. 3:

οὕνεχ' ὑπ' ἀζαλέου θέρεος μέγα κεκμηῶτα.

Namque huius versus memores si nostro loco scribimus:

κεῖμαι δ' ἀζαλέαν τάνδε παρ' ἀϊόνα,

optimam puto nos nancisci sententiam. Nam quidni ponamus in eo epigrammate, in quo queritur delphinus, a mari

---

1) Stadtmuellerus, qui in textu ep. VII. 294 retinuit lectionem codd. P et Pl$^{M}$ κροκάλην, (pro qua κροκαλῆν reposuit Brunckius), annotat eos, qui vocem pro adiectivo accipi volunt, teste uti Theognosto.

eiectus, miserrimam sibi instare mortem in arido, ipsum littus aridum esse dictum a poetria?

Ac scio quidem adiectivum ἀζαλέος antiquitus fere de ligno aut de corio usurpatum esse, verum inde ab Alexandrina aetate latius patuisse eius usum efficias ex Apoll. Rhod. versu IV. 144, ubi serpentis squamae dicuntur ἀζαλέαι, atque praesertim e Quinti Smyrnaei versibus 13. 242 sq.:

*ὡς εἴ τις ἀπὸ στάχυν ἀμήσηται*
*λήιον ἀζαλέοιο θέρευς εὐθαλπέος ὥρῃ*

atque e Nonni loco hoc:

*οἵ τε ῥόον Χρεμέταο καὶ οἳ παρὰ Κίνυφος ὕδωρ*
*ὤκεον ἀζαλέης ψαμαθώδεα πέζαν ἀρούρης.* [1])

Quum autem Alexandrini de quavis materie sicca usurpasse mihi videantur illud adiectivum, nil gravor in versum quoque VII. 215. 6 id recipere, ubi designet maris littus.

Postremo monere velim in ea, quam proposui, lectione adiectivum ἀζαλέος pari intervallo abesse a versus initio atque in altero Anytes versu, unde id repetivimus. Quum praeterea eadem sede idem vocabulum exhibeant versus Homerici:

*οὔρεος ἀζαλέοιο, βαθεῖα δὲ καίεται ὕλη* [2])
*ὕλης ἀζαλέης, ἵνα Fοι ποτιδόρπιον εἴη,* [3])

proclivis est coniectura Anytae, componenti versus XVI. 291. 3 et VII. 215. 6 epicos hos locos ob oculos esse versatos.

Paucis etiam hoc loco attingere velim Niciae versum VII. 200. 3, ubi poeta inducit cicadam querentem in pueri manum se incidisse. In Planudis autem autographo sic se habet ille versus:

*χεῖρα γὰρ εἰς ἀραιὰν παιδὸς πέσον, ὅς με λαθραίως,*

---

[1]) Dionys. 13. 374 sq.
[2]) Il. XX. 491.
[3]) Od. IX. 234.

quam lectionem, in textum suum receptam, ut defendat Stadtmuellerus, laudat Iliadis libri quinti v. 425, quo loco epicus poeta *Fαραιήν*, i. e. imbecillam, vocat Veneris manum. In multorum tamen incurrit offensionem locutio illa, a Planude Niciae tributa, *χεῖρα εἰς ἀραιάν*, ut non solum inde apparet, quod illi adiectivo crucem praefixit Reitzensteinius, quum egit de Niciae illo epigrammate,[1]) sed hinc praesertim, quod ingentem aliorum adiectivorum numerum ad hunc versum emendandum varii commendaverunt viri docti. Veluti Ungerus non *ἀραιάν*, sed *ἀραίαν* „detestandam" voluisse Planudem suspicatus est, Emperius proposuit *ἀγρίαν*, Maehlyus *βαιάν*, Ludwichius *λεχρίαν*, Schneidewinius *βαρέαν*, Diltheyus *μαργάν*. Ipse Stadtmuellerus, postquam memoravit in codice P Correctorem pristinam lectionem *ἀρετάν*, a scriba A profectam, hac ratione immutasse, ut eraserit litteram *τ*, addit fortasse reponendam esse lectionem *νεαράν*, qua coniectura hodie magis delectari videtur quam lectionibus *ἄκραν* et *στερεάν*, quas olim coniecerat.

Etsi miror, quod omnes ii, qui hucusque huic Niciae versui operam suam navaverunt, recurrerunt ad adiectiva neque apud eundem poetam neque apud Anyten, in iis saltem carminibus, quae tulerunt aetatem, obvia, tamen prae ceteris omnibus mihi displicent ea, quae commenti sunt Emperius et Ludwichius. Namque eorum uterque temere in Niciae poesin introducere voluit adiectivum, cuius syllaba antepaenultima, sequentibus muta et liquida, brevis sit relinquenda. Quum autem viderimus in Anytes carminibus usum correptionis Atticae mediis in vocabulis quam maxime fugi quumque apud ipsum Nician in duabus tantum vocibus, *λαθραίως* et *ἡδύπνοον*, procul dubio constet illa correptio, nimis audacter agere mihi videtur, qui suo arbitrio augeat numerum vocabulorum, in quibus negligenda

1) Epigr. u. Skol. pag. 124.

sit debilis positio. Praeterea ei lectioni, quam coniectura assecutus est Emperius, id etiam obstat, quod adest apud Nician synonymum vocabuli ἄγριος, nempe adiectivum ἀγρότερος, quod necessario, ne tres breves syllabae sese excipiant, producit τὸ α, et quidem hoc in versu:

XVI. 189. 4. χεῖρα, καὶ ἀγροτέρου κοῦφον ὄρεγμα ποδός.

Quae quum ita sint, subiit me cogitatio fortasse Niciae versum VII. 200. 3 hac ratione esse legendum:

χεῖρα γὰρ εἰς ῥοδέαν παιδὸς πέσον, ὅς με λαθραίως,

ita ut et hic versus sit referendus ad Anytes versum IX. 745. 4.:

βόστρυχον εἰς ῥοδέαν Ναῒς ἔδεκτο χέρα,

a quo, uti vidimus supra, pendet etiam Myrus epigrammatis VI 189 prior pentameter:

ἀμβρόσιαι ῥοδέοις στείβετε ποσσὶν ἀεί.

Ne autem mihi obiciat quis ea, quam proposui, lectione nimia affici laude crudelem illam pueri manum, utile erit monere Alexandrinos nostros poetas magnopere delectari eiusmodi epithetis ornantibus tunc quoque, quum vix quadrare in contextum nobis illa possint videri. Cui rei sit documento Anytes carmen VII 215, in quo delphinus moribundus ipsam illam undam, quae mortis ei est auctor, πορφυρέαν appellare non recusat, dicens:

ἀλλά με πορφυρέα πόντου νοτὶς ὦσ' ἐπὶ χέρσον

atque eiusdem poetriae epigramma a Polluce traditum, in quo anguis ille, qui necavit canem deploratam dicitur ποικιλόδειρος.

Sed postquam sic exemplo demonstravi comparationem cum Anytes epigrammatis negligendam non esse iis, qui studium conferant ad constituendum textum imitatorum eius carminum, iam redeo ad ipsius Anytes poeseos metricas proprietates.

Videamus igitur nunc de usu τῶν ὁμοιοτελεύτων. Nota est res iam apud veteres poetas elegiacos, quales sunt

Mimnermus, Solon, Xenophanes, satis frequentem esse numerum eorum versuum pentametrorum, in quibus utrumque colon desinat in eosdem sonos.[1]) Prae ceteris tamen Alexandrinos poetas delectatos esse pentametris hanc ad normam conformatis, inter alia multa poemata ostendunt Hermesianactis Leontium et Callimachi hymnus quintus. Solent autem recentiores hi auctores in pentametris componendis cum usu *τῶν ὁμοιοτελεύτων* aliam quandam coniungere proprietatem; plerumque enim posterius alicuius versus colon finiunt substantivo, prius autem adiectivo ad id substantivum pertinente.[2]) Quae versus forma apud antiquos illos, etsi non prorsus deest, tamen multo rarius occurrit.[3]) In Anytes quoque pentametris satis crebris, quorum cola exhibeant homoeoteleuta, vulgo arcte cohaerere utriusque coli voces finales sequens docet conspectus:

VI. 153. 2. *Κλεύβοτος· ἁ πάτρα δ' εὐρύχορος Τεγέα.*
VII. 208. 4. *ζεσσ', ἐπὶ δ' ἀργαλέᾳ βῶλον ἔδευσε φονᾷ.*[4])
VII. 215. 4. *ποιφύξω τᾷ μᾷ τερπόμενος προτομᾷ.*
IX. 144. 4. *δειμαίνει, λιπαρὸν δερκόμενος ξόανον.*
XVI. 228. 2. *ἁδύ τοι ἐν χλωροῖς πνεῦμα θροεῖ πετάλοις*
XVI. 231. 4. *πόρτιες ἠυκόμων δρεπτόμεναι σταχύων.*
App. 6. 2. *Λοκρί, φιλοφθόγγων ὠκυτάτα σκυλάκων.*

Ut his in versibus priori parti respondet posterior, simi-

---

1) Cf. apud Bergk in Poet. Lyr. Gr. ed. 4. Mimnermi fragm. I. vs. 2. Solonis ὑποθ. εἰς 'Αθην. vv. 2, 12, 20, 32. Xenophanis fragm. I. vv. 2, 14, 22.

2) Cf. Leontii (Ath. XIII. 71) vv. 6, 8, 14, 18, 22, 28, 30, 34, 36, 42, 58, 64. 68, 74, 80. 84, 92, ex recognitione Meinekii.

3) Ex versibus eis, quos laudavi in annotatione 1 huius pag., duo tantum ad hanc normam sunt conformati, nempe Solonis ὑποθ. vs. 20 atque Xenophanis vs. I. 2.

4) Ut exposui in praecedenti paragrapho, est haec Stadtmuelleri lectio. Qui ante eum viderant de hoc versu tantum non omnes inciderant in eas lectiones, quae nulla continerent homoeoteleuta. Solus Meinekius suaserat ut legeretur:

ζέσσ', ἐπι δ' ἀργαλέῳ γαῖαν ἔδευσε φόνῳ.

liter nonnullis in epigrammatis inter se conveniunt primus et tertius aut rursus secundus et quartus versus, cuius rei optimum praebet exemplum carmen VI 312, in quo utriusque hexametri prima vox desinit in -ια, postrema vero in -α. Namque illi versus audiunt sic:

Ἡνία δή τοι παῖδες ἐνί, τράγε, φοινικόεντα.
ἵππια παιδεύουσι θεοῦ περὶ ναὸν ἄεθλα.

Praeterea sibi respondent hi etiam versus:

VII. 202. 1. Οὐκέτι μ' ὡς τὸ πάρος πυκιναῖς πτερύγεσσιν ἐρέσσων.
VII. 202. 3. ἦ γάρ σ' ὑπνώοντα σίνις λαθρηδὸν ἐπελθών.
VII. 724. 2. Φειδία ἐν δνοφερῷ πένθει ἔθου φθίμενος.
VII. 724. 4. ὡς ἔθανες πρὸ φίλας μαρνάμενος πατρίδος.
IX. 745. 2. ὄμμα κατὰ λασίαν γαῦρον ἔχει γενύων.
IX. 745. 4. βόστρυχον εἰς ῥοδέαν Ναῒς ἔδεκτο χέρα.

Sic etiam homoeoteleuta ordinare solet Anyte, ut ea exhibeant duae arses insequentes, id quod fecit his in versibus:

VI. 153. 1. Βουχανδὴς ὁ λέβης· ὁ δὲ θεὶς Ἐριασπίδα υἱός.
VI. 153. 2. Κλεύβοτος· ἁ πάτρα δ' εὐρύχορος Τεγέα.
VI. 312. 2. θέντες καὶ λασίῳ φιμὰ περὶ στόματι.
VII. 646. 4. ἤδη ἀποφθιμένας κυάνεος θάνατος.
VII. 724. 4. ὡς ἔθανες πρὸ φίλας μαρνάμενος πατρίδος.
XVI. 228. 1. Ξεῖν', ὑπὸ τὰν πτελέαν τετρυμένα γυῖ' ἀνάπαυσον.

Ex epigrammatis VII 646 versu finali olim Jacobsius tollere voluit homoeoteleuta, quum ei displiceret codicum lectio: μέλας δ' ἐμὸν ὄμμα καλύπτει ἤδη ἀποφθιμένας κυάνεος θάνατος, quae cum uno substantivo θάνατος coniungit duo adiectiva. Itaque, ut alterum adiectivum traheret ad vocabulum ὄμμα, proposuit formam κυάνεον pro κυάνεος. Iure autem Reitzensteinius [1]) aspernatus est et hanc coniecturam

---

[1]) l.l. pag. 133.

et alteram etiam, huic consimilem, a Reiskio factam in Anytes epigrammate VII 486, cuius pars prior in manuscriptis audit sic:

> Πολλάκι τῷδ' ὀλοφυδνὰ κόρας ἐπὶ σάματι Κλειὼ
> μάτηρ ὠκύμορον παῖδ' ἐβόασε[1]) φίλαν.

Nempe suasit Reiskius, ut contra codicum consensum pro ὠκύμορον legeremus ὠκυμόρου, quam Reiskianam lectionem errore tamquam ex codice edidisse Jacobsium memorat Stadtmuellerus.[2]) At, ut recte argumentatur Reitzensteinius, neutro loco sollicitandas esse traditas lectiones ostendit comparatio cum Anytes carminibus VI. 123, IX. 313, XVI. 231., in quibus eadem ratione coacervantur adiectiva his in locutionibus:

> ἀλλ' ἀνὰ μαρμάρεον δόμον ἥμενα αἰπὺν Ἀθάνας.
> Ἵζεο τᾶσδ' ὑπὸ καλὰ δάφνας εὐθαλέα φύλλα.
> Τίπτε κατ' οἰόβατον, Πὰν ἀγρότα, δάσκιον ὕλαν.

Ut impugnet Jacobsii lectionem versus VII. 646. 4 Reitzensteinius hoc quoque utitur argumento, locutionem κυάνεον ὄμμα, ut inelegantissimam, aversandam nobis esse, quum contra nihil obstet, quominus adiectivum κυάνεος iungatur cum eo substantivo, quo significatur mors. Denique nullam videt ille causam, cur et hoc loco et versu VII. 486. 2 recedamus a traditis lectionibus.

Omnium recentissimus editor, Stadtmuellerum volo, et ipse carminis VII 646 intacta reliquit verba finalia, quamquam cum Jacobsio dubitare videtur annon recte se habeat locutio μέλας κυάνεος θάνατος. Sed aliam viam ingressus est atque vetustior ille editor, nam suspicatus est fortasse pro priore adiectivo substituendum esse substantivum νέφος. Quo loco[3]) autem proponit hanc coniecturam, diserte dicit

---

1) Apud Planudem pro ἐβόασε perperam legitur ἐβόησε.

2) In Anth. Gr. editionis parte pr. vol. II. pag. 341.

3) ibidem pag. 442.

non ideo cum auctore epigrammatis Simonidei VII 251, cuius versus duo priores audiunt sic:

*Ἄσβεστον κλέος οἵδε φίλῃ περὶ πατρίδι θέντες*
*κυάνεον θανάτου ἀμφεβάλοντο νέφος,*

scribendum esse *κυάνεον θανάτου*, cum verba *κυάνεος θάνατος* explicandi causa accedere potuerint.

Etsi igitur Reitzensteinius et Stadtmuellerus in fine epigrammatis VII 646 revocaverunt homoeoteleuta, tamen, nisi omnia me fallunt, eorum utrumque fugit invictum adesse argumentum, quo demonstremus errare, qui verbis *κυάνεος θάνατος* quamlibet aliam praeferat lectionem. Nemo sane infitias ibit Anytes hoc carmen, quod totum sic se habet:

*Λοίσθια δὴ τάδε πατρὶ φίλῳ περὶ χεῖρε βαλοῦσα*
*εἶπ' Ἐρατὼ χλωροῖς δάκρυσι λειβομένα·*
*Ὦ πάτερ, οὔ τοι ἔτ' εἰμί, μέλας δ' ἐμὸν ὄμμα καλύπτει*
*ἤδη ἀποφθιμένας κυάνεος θάνατος,*

obversatum esse Myro poetriae, quum ipsa cantaret haec:

*Κεῖσαι δὴ χρυσέαν ὑπὸ παστάδα τὰν Ἀφροδίτας,*
*βότρυ, Διωνύσου πληθόμενος σταγόνι·*
*οὐδ' ἔτι τοι μάτηρ ἐρατὸν περὶ κλῆμα βαλοῦσα*
*φύσει ὑπὲρ κρατὸς νεκτάρεον πέταλον.* 1)

Si autem imitatricis carmen in ultimis duabus arsibus exhibet homoeoteleuta, nonne inde necessario sequitur librarios veram tradidisse lectionem postremi versus Anytes epigrammatis VII 646? Quam multa enim habent similia verborum coniunctiones *κυάνεος θάνατος* et *νεκτάρεον πέταλον*, quarum utraque constat ex adiectivo quattuor syllabarum, quod sequitur substantivum trisyllabum! Mihi quidem constat Myro non tantum voces quasdam et locutiones, sed etiam metricam hanc proprietatem hausisse ex Anytes illo carmine, ut omnino non dubitem quin retinenda

---

1) Anth. Gr. VI. 119.

sit lectio *κυάνεος θάνατος*, sive in praecedenti versu legamus *μέλας*, sive cum Stadtmuellero *νέφος*, sive praestet scribere *μέλαν*. ut propter sequens verbum *καλύπτει* proleptice sic appelletur moribundae oculus.

Usum *τῶν ὁμοιοτελεύτων* late patere apud nostram, inde potissimum apparet, quod nonnullis epigrammatis, quae certis et consuetis locis exhibent homoeoteleuta, alia etiam, ut ita dicam, extra ordinem continentur. Imprimis videre hoc nobis licet in carmine IX 144, quo continentur sex vocabula, desinentia in *-ος* atque totidem, quae exeunt in *-ον*. Namque illud carmen audit sic:

*Κύπριδος οὗτος ὁ χῶρος, ἐπεὶ φίλον ἔπλετο τήνᾳ*
*αἰὲν ἀπ' ἠπείρου λαμπρὸν ὁρῆν πέλαγος,*
*ὄφρα φίλον ναύτῃσι τελῇ πλόον· ἀμφὶ δὲ πόντος*
*δειμαίνει, λιπαρὸν δερκόμενος ξόανον.*

Restat una res, quam silentio praeterire nolim: sunt enim inter Anytes carminum versus hexametros haud pauci, qui inciduntur diaeresi bucolica. Cuius rei aptum praebet conspectum sequens catalogus:

VI. 123. 1. *Ἕσταθι τᾷδε, κράνεια βροτοκτόνε, || μηδ' ἔτι λυγρόν.*
VII. 486. 3. *ψυχὰν ἀγκαλέουσα Φιλαινίδος, || ἃ πρὸ γάμοιο.*
VII. 490. 1. *Παρθένον Ἀντιβίαν κατοδύρομαι, || ἇς ἐπὶ πολλοί.*
VII. 490. 3. *κάλλευς καὶ πινυτᾶτος ἀνὰ κλέος. || ἀλλ' ἐπὶ πάντων.*
VII. 724. 1. *Ἦ ῥα μένος σε, Πρόαρχ', ὄλεσ' ἐν δαΐ, || δῶμά τε πατρός.* [1])
IX. 144. 3. *ὄφρα φίλον ναύτῃσι τελῇ πλόον· || ἀμφὶ δὲ πόντος.*
IX. 745. 1. *Θάεο τὸν Βρομίου κεραὸν τράγον, || ὡς ἀγερώχως.*
XVI. 228. 3. *πίδακά τ' ἐκ παγᾶς ψυχρὸν πίε· || δὴ γὰρ ὁδίταις.*

---

1) Est haec Stadtmuelleri lectio versus VII. 724. 1, quem misere turbatum exhibet unicus fons, codex P, ita ut „desperatissimum" eum vocaverit Salmasius in margine ap. B. Inter lectiones, quas proposuerunt alii, sunt, quae, pariter ac Stadtmuelleri lectio, incidantur bucolica diaeresi, sunt tamen etiam, in quas non cadat haec caesura.

Si, postquam vidimus de Anytes poeseos praecipuis metricis proprietatibus, in pauca conferre conamur iudicium nostrum de poetriae re metrica, affirmare licet artificiosissime conformari solita esse eius epigrammata. Studuit nostra eadem semper vocabula eisdem versuum sedibus iterare, dedit operam ut sibi responderent pedes metrici versuum convenientium, delectata est usu *τῶν ὁμοιοτελεύτων*: denique in carminibus suis componendis praesertim iis eminuit artibus, quas proprias esse Alexandrini aevi poetis supra iam exposuimus, summo studio atque singulari artificio.

## § 3. De epigrammatis, quae singulis testimoniis nec communi consensu vindicantur Anytae.

Quoniam in praecedentibus iam semel iterumque mentio mihi fuit facienda epigrammatum VII 190 et IX 313, quaesitura nunc de iis carminibus, quae singulis tantum testimoniis tribuuntur nostrae poetriae, a duobus his epigrammatis faciam initium.

Carminis IX 313, cui *ἄδηλον* ascripsit Planudes, quod vero Corrector instruxit titulo: *ἀνύτης μελοποιοῦ*, [1]) textus hac fere ratione constituendus esse videtur:

*Ἵζεο τᾶσδ'* [2]) *ὑπὸ καλὰ δάφνας εὐθαλέα φύλλα,*
*ὡραίου τ' ἄρυσαι νάματος ἁδὺ πόμα,*
*ὄφρα τοι ἀσθμαίνοντα πόνοις θέρεος φίλα γυῖα*
*ἀμπαύσῃς, πνοιᾷ* [3]) *τυπτόμενα Ζεφύρου.*

---

1) Cf. Weisshaeupl. l.l. pag. 10.

2) Vid. quae de lectione huius versus disseruimus in praecedenti paragrapho.

3) Doricam hanc formam, pro qua et Jacobsius et Pl$^B$ (ubi hoc carmen est ep. I. 20. 18) praebent *πνοιῇ*, requirunt crebrae formae Doricae, quas in hoc epigrammate integras servavit codex P.

Memoria si quis tenet ea epigrammata, de quibus vidimus in praecedentibus, fieri non potest quin perlecto hoc carmine statim cogitet de Anytes epigrammate XVI 228, in quo etiam invitatur viator, ut in arboris umbra recreet membra sua aestu defatigata expleatque sitim frigida fontis aqua. At non solum argumenta, sed etiam sermonem horum carminum arctissime convenire tantum non incurrit in oculos, si iuxta epigramma supra exscriptum ponitur alterum illud, quod audit sic:

Ξεῖν', ὑπὸ τὰν πτελέαν τετρυμένα γυῖ' ἀνάπαυσον·
ἁδύ τοι ἐν χλωροῖς πνεῦμα θροεῖ πετάλοις.
πίδακά τ' ἐκ παγᾶς ψυχρὸν πίε· δὴ γὰρ ὁδίταις
ἄμπαυμ' ἐν θερμῷ καύματι τοῦτο φίλον.

Itaque apparet sibi respondere initia ultimorum versuum, quorum alter incipit a substantivo ἄμπαυμα, alter a forma ἀμπαύσῃς, in utroque carmine adesse adiectivum ἁδύ (XVI. 228. 2. IX. 313. 2.) atque substantivum γυῖα (XVI. 228. 1. IX. 313. 3.), voculam τοι, qua delectatam esse Anyten vidimus supra (pag. 132), in noni libri carminis versu tertio recurrere eadem sede, qua legitur in secundo versu epigrammatis XVI 228, i. e. in posteriore parte thesis primi pedis.

Optime autem fieri potuisse, ut poetria bis tractaverit idem argumentum idque eisdem fere verbis docet comparatio Anytes carminum VI 312 et IX 745, quae non solum versantur in simili argumento, verum etiam substantivum τράγος atque adiectivum λάσιος prorsus eadem exhibent sede; etenim illorum carminum priores partes sic se habent:

VI. 312. 1 sq.

Ἡνία δή τοι παῖδες ἐνί, τ ρ ά γ ε, φοινικόεντα
θέντες καὶ λ α σ ί ῳ φιμὰ περὶ στόματι.

IX. 745. 1 sq.

Θάεο τὸν Βρομίου κεραὸν τ ρ ά γ ο ν, ὡς ἀγερώχως
ὄμμα κατὰ λ α σ ί α ν γαῦρον ἔχει γενύων.

Itaque, quod epigramma illud, de quo nunc videmus, multa habet similia cum carmine XVI 228, ea res non modo non obstat ne credamus utrumque esse scriptum ab eadem poetria, at contra confirmat testimonium Correctoris carmen IX 313 Anytae tribuentis.

Sed praeter carmen XVI 228 alia etiam adsunt Anytes epigrammata, quorum sermo quodammodo convenit cum nostri carminis sermone. Primum enim coniunctio ὄφρα eandem sedem, quam in hoc epigrammate, occupat in carminibus IX 144 et XVI 231, deinde genitivus θέρεος adest etiam in versu XVI. 291. 3:

οὕνεχ' ὑπ' ἀζαλέου θέρεος μέγα κεκμηῶτα,

porro cum forma ἀμπαύσῃς non tantum substantivum ἄμπαυμα, quod supra iam memoravimus, sed etiam forma ἄμπαυσιν, versu IX. 314. 3 obvia, comparanda est, postremo locutio φίλα γυῖα in memoriam nobis revocat Anytes versus hos:

VII. 486. 2. μάτηρ ὠκύμορον παῖδ' ἐβόασε φίλαν.
VII. 646. 1. Λοίσθια δὴ τάδε πατρὶ φίλῳ περὶ χεῖρε βαλοῦσα.
VII. 724. 4. ὡς ἔθανες πρὸ φίλας μαρνάμενος πατρίδος.

Accedit etiam, quod ultimi versus colon posterius τυπτόμενα Ζεφύρου concinit cum finibus epigrammatum VII 724: μαρνάμενος πατρίδος, IX 144: δερκόμενος ξόανον, XVI 231: δρεπτόμεναι σταχύων atque praeterea cum altera parte versus VII. 215. 4: τερπόμενος προτομᾷ.

Ceterum ut demonstremus ex ipsius Anytes calamo fluxisse carmen IX 313, aliud etiam argumentum idque haud parvi momenti praesto nobis est. Iure nos monuit Reitzensteinius[1]) carmen nostrum obversatum esse Niciae, Anytes sectatori, quum componeret epigramma suum IX 315, quod est huiusmodi:

---

1) Epigr. u. Skol. pag. 124 sq.

*Ἕζευ ὑπ' αἰγείροισιν, ἐπεὶ κάμες, ἐνθάδ' ὁδῖτα,*
*καὶ πίε θᾶσσον ἰὼν πίδακος ἁμετέρας·*
*μνᾶσαι δὲ κράναν καὶ ἀπόπροθι, τᾷ ἔπι* [1]) *Γίλλῳ*
*Σῖμος ἀποφθιμένῳ παιδὶ παριδρύεται.*

Aegre tamen apud Reitzensteinium desidero comparationem huius Niciae carminis cum Anytes epigrammate XVI 228, ad quod carmen haud minus referendum esse imitatoris epigramma existimo. Namque, quod attinet ad verborum usum, carmina IX 313 et IX 315 nihil habent commune nisi primorum versuum initia, at contra Nicias aliquot vocabula repetivit ab epigrammate illo, quod continetur libro sexto decimo. Veluti, quum primum versum suum finiret vocativo *ὁδῖτα* sine dubio memor fuit tertii versus Anytes illius carminis:

*πίδακά τ' ἐκ παγᾶς ψυχρὸν πίε· δὴ γὰρ ὁδίταις,*

a quo eodem versu pariter desumpsisse mihi videtur vocabula *πίε* et *πίδακος*.

Necdum omnia carmina percensuisse mihi videor, quae in epigrammate IX 315 respexerit Nicias. Puto enim mero casu factum non esse, ut participium *ἀποφθιμένῳ* apud eum recurreret eodem loco, quo in Anytes carmine VII 646 legitur forma feminina *ἀποφθιμένας*, verum sat bene memoria tenuisse Nician huius epigrammatis ultimum versum:

*ἤδη ἀποφθιμένας κυάνεος θάνατος,*

quum ipse cantaret:

*Σῖμος ἀποφθιμένῳ παιδὶ παριδρύεται.*

Postremo memorare velim dativum *παιδί* a Nicia collocatum esse ea sede, qua accusativum *παῖδα* in Anytes versu VII. 486. 2., quem versum novimus audire sic:

*μάτηρ ὠκύμορον παῖδ' ἐβόασε φίλαν.*

Si autem constat Nician in componendo carmine IX 315 respexisse simul Anytes epigrammata XVI. 228, VII. 646,

[1]) Est haec Reitzensteinii lectio, pro qua Jacobsius legit *τὰν ἔπι*, Weisshaeuplius pag. 105 *ἂν ἔπι*.

VII. 486, simul carmen IX. 313, nonne inde sequitur, ut postremum quoque illud epigramma dandum sit eidem poetriae, quum praesertim Corrector, quem testem minime esse spernendum supra (pag. 62—69) studuimus ostendere, id ei vindicaverit?

Et tamen nescia non sum nobis epigramma IX 313 Anytae vindicantibus aliquam difficultatem sitam esse in forma δάφνας, quae in priore syllaba exhibet correptionem Atticam, a qua mediis in vocabulis vulgo abstinuisse nostram poetriam in paragrapho praecedenti demonstravimus. Quam difficultatem sane non parvi facerem, si alia adessent indicia, quae nos adducerent in eam opinionem, ut putaremus ab Anyte abiudicandum esse nostrum carmen. Verum quum desint eiusmodi indicia atque ab altera parte satis magna argumentorum copia suppetat, si quis ostendere studeat neminem nisi Anyten composuisse epigramma IX 313, propter unam illam correptionem fidem denegare nolim Correctoris testimonio. Atque eo facilius excusatur iambica forma genitivi δάφνας, quod constat Anyten semel in altero substantivo recurrisse ad correptionem Atticam et quidem in genitivo πατρίδος, quo finivit epigramma suum VII 724. Dicas igitur poetriam, quae sedulo curavit ante mutam cum liquida producere vocales breves, quotiescumque continebantur verbis, adverbiis, adiectivis, coniunctionibus, paulo liberius egisse in substantivorum formis.

Quoniam hisce abunde ostendisse mihi videor non temere inter Anytes carminum reliquias referri solere epigramma IX 313, iam pergo ad alia. At priusquam exponam de auctore carminis VII 190, hoc loco inserere lubet observatiunculam ad lectionem versus tertii epigrammatis XVI 228 pertinentem. Quum enim modo viderimus ab hoc carmine mutuatum esse Nician haud pauca vocabula, in epigrammate IX 315 obvia, quumque apud imitatorem prior pentameter desinat in verba: πίδακος ἁμετέρας, valde dubito

an non recte se habeat Anytes illius versus lectio haec:

πίδακά τ' ἐκ παγᾶς ψυχρὸν πίε· δὴ γὰρ ὁδίταις,

quam lectionem exhibent Pl$^{B}$ atque Jacobsii editio Anthologiae Graecae. Itaque suadeo ut pro forma ψυχρόν apud Anyten reponatur ψυχράν, quod ceteroquin etiam feminini generis esse solet substantivum πῖδαξ, ut inter alios ostendunt Euripidis versus hi:

ταὶ δ' ἐπεὶ ὑλόκομον νάπος ἤλυθον
οὐρειᾶν πιδάκων
νίψαν αἰγλᾶντα σώματα ῥοαῖς.[1]

Verum haec quidem hactenus; iam redeamus ad propositum.

Epigramma VII 190, quod in Pl$^{M}$ est carmen octavum capitis 21 (cui capiti est titulus εἰς ὄρνεις) libri III$^{a}$, quod vero in Pl$^{B}$ octavum occupat locum in libri III capite 24, constat ex quattuor his versibus:

Ἀκρίδι, τᾷ κατ' ἄρουραν ἀηδόνι, καὶ δρυοκοίτᾳ
τέττιγι ξυνὸν τύμβον ἔτευξε Μυρώ,
παρθένιον στάξασα κόρα δάκρυ· δισσὰ γὰρ αὐτᾶς
παίγνι' ὁ δυσπειθὴς ᾤχετ' ἔχων Ἀίδας.

Uti rettuli in secundo Capite meo, hoc carmen inest in ea Anytes epigrammatum corolla, quam exhibet codex Matritensis 24, in qua sylloge interpositum est inter carmina VII 490 (Pl$^{M}$ III$^{b}$. 20. 6) et VII 202 (Pl$^{M}$ III$^{a}$. 21. 11). Etiam in Planudeae Anthologiae editione principe Florentina Ianus Lascaris in titulum huius epigrammatis unius Anytes recepit nomen. In Marciano vero et Palatino codd. longiore titulo instructum est hoc carmen, nam et Planudes et Corrector ei appinxerunt: ἀνύτης, οἱ δὲ λεωνίδου.

Quattuor autem epigrammatis versus in codice P ita sunt exarati, ut prius distichon legatur infra in pagina 234 utque sequentis paginae textus incipiat ab altero eius

[1]) Androm. 284—286.

hexametro. In eodem manuscripto supra posterius distichon C in margine superiore paginae 235 apposuit ep. VII 364, quod confecit Marcus Argentarius, cuius poetae aliquot epigrammata e Philippea corona permanarunt in Anthologiam. Causa cur id adeo carmen hoc loco adscripserit Corrector est haec, quod huius carminis argumentum ad nostri carminis accedit proxime. Namque cantavit Argentarius haec:

*Ἀκρίδι καὶ τέττιγι Μυρὼ τόδε θήκατο σῆμα*
*λιτὴν ἀμφοτέροις χερσὶ βαλοῦσα κόνιν,*
*ἵμερα δακρύσασα πυρῆς ἔπι· τὸν γὰρ ἀοιδὸν*
*Ἅιδης, τὴν δ' ἑτέρην ἥρπασε Περσεφόνη.*

Praeterea cum eo carmine, ad quod pertinet disquisitio nostra, aliqua ratione cohaerere videtur Plinianus locus hic: „Myronem Eleutheris natum. . . . bucula maxime nobilitavit celebratis versibus laudata. . . . . Fecisse et cicadae monumentum ac locustae carminibus suis Erinna significavit.“ [1]) Duae nunc oriuntur quaestiones satis spinosae atque intricatae. Primum enim roget quis, quomodo factum sit, ut apud Plinium eadem narrentur de Myrone statuario, quae in Anthologiae epigrammatis supra exscriptis de Myro puella, deinde vero cur Erinnae poeseos fecerit mentionem Plinius, cum tamen huius poetriae nullum innotuerit carmen, in quo sit sermo de locustae atque cicadae communi sepulcro. Attigerunt has quaestiones Reitzensteinius [2]) et Stadtmuellerus, [3]) quibus locis simul viderunt de auctore carminis VII 190. Quamvis autem differant sententiae eae, quas de hisce quaestionibus protulerunt illi, duae tamen sunt res, de quibus inter se consentiunt. Nam eorum uterque arbitratur a Tarentino certe Leonida abiudicandum esse epigramma VII 190 atque consensu

1) Nat. Hist. XXXIV. § 57.
2) Epigr. u. Skol. pag. 143 sq. in annot.
3) In notis ad epigramma VII 190.

etiam opinantur Plinium loco laudato manifesto errore induxisse Myronem statuarium, pro quo in eius fonte memoraretur adulescens aliquis, cui esset nomen Myroni. Reitzensteinius, ut nobis persuadeat a Leonida Tarentino alienum esse carmen VII 190, delegat nos ad huius poetae epigramma VII 198:

*Εἰ μικρός τις ἰδεῖν καὶ ἐπ' οὔδεος, ὦ παροδῖτα,*
*λᾶας ὁ τυμβίτης ἄμμιν ἐπικρέμαται,*
*αἰνοίης, ὤνθρωπε, Φιλαινίδα. τὴν γὰρ ἀοιδὸν*
*ἀκρίδα, τὴν εὖσαν τὸ πρὶν ἀκανθοβάτιν,*
*διπλοῦς ἐς λυκάβαντας ἐφίλατο, τὴν καλαμῖτιν,*
*καὶ θρέψ' ὑμνιδίῳ χηραμένην πατάγῳ·*
*καί μ' οὐδὲ φθιμένην ἀπανήνατο, τοῦτο δ' ἐφ' ἡμῖν*
*τὠλίγον ὤρθωσεν σᾶμα πολυστροφίης.*

Profecto facile concedo concinnum atque simplex carmen illud, de cuius auctore nunc quaeritur, vix scribi potuisse ab eodem poeta, cui debetur epigramma verbosum atque artificiosissimum, quod modo exscripsi. Itaque aut Anytae vindicandum est carmen VII 190, quae est Reitzensteinii opinio, aut duce Stadtmuellero ab Alexandrino Leonida, quem poetam Neronis aevo composuisse carmina *ἰσόψηφα* nota est res,[1]) profectum id esse credat quis. Etenim recentissimum Anthologiae editorem subiit cogitatio pristinum huius carminis textum fortasse ita fuisse conformatum, ut, tam in priore quam in altero disticho omnium litterarum subducta ratione, eadem evaderet summa. Quam isopsephiam restituere est conatus duas per mutationes, nam in priore pentametro pro *ἔτευξε* proposuit *ἔτευχε* et in postremo versu *παίγνια* pro *παίγνι' ὁ;* quibus factis mutationibus utrimque exsistit numerus 7733.

Licet summo ingenii acumine haec excogitaverit Stadt-

---

1) De hoc poeta vid. W. Christ. Gesch. d. gr. Litt. pag. 514 (ann. 1 et 4.) pag. 622. atque G. Knaack apud Susemihl. Gesch. d. gr. Litt. i. d. Alexandrinerzeit II. pag. 537. ann. 89.

muellerus, tamen ingeniosior quam felicior mihi videtur eius coniectura. Namque imperfectum *ἔτευχε* alienum hinc puto, quod in his ac similibus epigrammatis sollemnis est usus aoristi temporis, ut in Anthologia Graeca ostendunt creberrimi loci, quales sunt hi: VII. 197. 3 sq. (Phaenni) *Δαμόκριτος δ' ἐπ' ἐμοὶ τὸν ἐοικότα τύμβον, ὁδῖτα, | ἐγγύθεν Ὠρωποῦ χεῦεν ἀποφθιμένᾳ.* VII. 198. 7 sq. (Leonidae Tarentini) *τοῦτο δ' ἐφ' ἡμῖν | τὠλίγον ὤρθωσεν σᾶμα πολυστροφίης.* VII. 208. 1 sq. (Anytes) *Μνᾶμα τόδε φθιμένου μενεδαΐου εἵσατο Δᾶμις | ἵππου.* VII. 209. 1 sq. (Antipatri) *Αὐτοῦ σοὶ παρ' ἅλωνι, δυηπαθὲς ἐργάτα μύρμηξ, | ἠρίον ἐκ βώλου διψάδος ἐκτισάμαν.* VII. 228. 1 sq. (ep. adesp.) *Αὑτῷ καὶ τεκέεσσι γυναικί τε τύμβον ἔδειμεν | Ἀνδροτίων.*

Accedit quod ipsa forma *ἔτευξε* prorsus eodem loco atque in nostro epigrammate, quamquam non de tumulo statuendo, usurpatur in Alcaei Messenii carminis VII 495 primo disticho:

*Στυγνὸς ἐπ' Ἀρκτούρῳ ναύταις πλόος· ἐκ δὲ Βορείης*
*λαίλαπος Ἀσπασίῳ πικρὸν ἔτευξε μόρον,*

et quod Damagetus versu VII. 9. 6 cantat:

*καὶ στίχον ἡρώῳ ζευκτὸν ἔτευξε ποδί.*

Quum autem constet Damagetum saepe hausisse e Tegeatidis poetriae carminibus, id quod praesertim ostendit eius epigramma VII 735, factum ad exemplum Anytes carminis VII 646, sequitur ut, si iure contenderit Reitzensteinius epigramma VII 190 ab Anyte esse profectum, aoristum *ἔτευξε* certa illa versus sede commendet imitatoris versus VII. 9. 6.

Praeterea etiam in nostro carmine aoristum tueri videtur imitatio Marci Argentarii, cuius verba *θήκατο—δακρύσασα* accurate respondent formis *ἔτευξε—στάξασα* communi consensu traditis in ep. VII 190.

Restat igitur ut exponam, quibus argumentis defendi posse mihi videatur Reitzensteinii sententia, qua Anytae

tribuitur carmen VII 190. Substantivum *κόρα* et in hoc epigrammate et in Anytes carmine VII 486 eandem versus sedem occupare docet comparatio horum versuum:

VII. 190. 3.

*παρθένιον στάξασα κόρα δάκρυ· δισσὰ γὰρ αὐτᾶς.*

VII. 486. 1. Anytes:

*Πολλάκι τῷδ' ὀλοφυδνὰ κόρας ἐπὶ σάματι Κλεινώ.*

Deinde tota illa locutio „*παρθένιον στάξασα κόρα δάκρυ*" nobis revocat in memoriam cum partem priorem epigrammatis VI 123, ubi sic alloquitur nostra poetria hastam quandam, ut dicat: *μηδ' ἔτι λυγρὸν χάλκεον ἀμφ' ὄνυχα στάζε φόνον δαΐων*, tum vero etiam Aeschyli versum illum:[1] *κἀξ ὀμμάτων στάζουσιν αἷμα δυσφιλές*, a quo Reitzensteinius[2] iure derivavit Anytes illa verba. Quum autem constet semel certe respexisse Anyten Aeschyli versum laudatum, haud absurdum videtur suspicari eandem poetriam denuo in altero carmine locutionem similem deprompsisse ex eodem illo loco Aeschyleo.

Tertium argumentum elici posse existimo ex Marci Argentarii epigrammate eo, cuius textum supra exaravi. Etenim in secundo versu huius carminis alterum colon incipit a dativo *χερσί*, quam formam, ut recte animadvertit Stadtmuellerus, eodem versus loco exhibet etiam Argentarii carmen V 117, cuius prior pentameter audit sic: *ἔγρεο καὶ δέξαι χερσὶ φίλαις στέφανον.* Probabiliter autem uterque Argentarii versus repetitus est ab Anytes carminis XVI 291 versu postremo:

*παῦσαν, ὀρέξασαι χερσὶ μελιχρὸν ὕδωρ.*

Quodsi iure suspicata sum Argentario, quum retractaret epigramma VII 190, ob oculos versatum esse Anytes carmen XVI 291, haec quoque res confirmare potest opinionem nostram eidem poetriae deberi et id carmen, quod

---

1) Choeph. 1058.

2) Epigr u. Skol. pag. 134.

praecipuum dicendum est exemplum carminis VII 364.

Porro apte quadrat in Anytes sermonem *ἅπαξ εἰρημένον* „*δρυοκοίτᾳ*", qua forma finitur epigrammatis nostri versus primus, siquidem novimus delectatam esse poetriam vocibus novis aut saltem minus usitatis. Suidas, quem interpretatum esse aliquot huiusmodi vocabula, ab Anyte usurpata, vidimus in Capite secundo, hoc quoque servavit adiectivum, nam legimus in eius lexico:

*δρυοκοίτης.* *ἀκρίδι τῇ κατ' ἄρουραν ἀηδόνι, καὶ δρυοκοίτῃ τέττιγι ξυνὸν τύμβον ἔτευξε Μυρώ, παρθένιον στάξασα κόρη δάκρυ.*

Per se autem Suidae haec notitia, qua contineri videmus carminis VII 190 partem quandam, valde tamen inquinata conscriptam dialecto, potius ad alterius poetae epigramma quam ad ipsius Anytes poesin pertinere posset videri; bene igitur factum, quod veras formas Doricas integras tradiderunt Anthologiae codicum scribae. Quorum freti auctoritate pro certo ponere possumus pristinam carminis dialectum fuisse Doricam, ita ut ne ea quidem dialectus, qua involvit Suidas carminis partem, obstet, quominus Tegeaeae poetriae tribuamus epigramma VII 190.

Nec magis necesse est ab ea abiudicemus hoc carmen, propterea quod in tertii versus voce *δάκρυ* breve usurpatur *τὸ α* sequentibus muta et liquida; supra enim exposuimus a poetria nonnumquam mediis in substantivis tolerari correptionem Atticam. Ceterum eo magis credere licet hoc adeo in substantivo ab Anyte neglectam esse debilem positionem, quod vox *δάκρυ* similiter ac genitivus *πατρίδος*, in versu quarto carminis VII 724 obvius, cuius corripitur syllaba antepaenultima, postremam occupat sedem, non quidem in toto versu, attamen in orationis parte; namque post eam vocem bucolica versus inciditur diaeresi.

Postquam disseruimus quibus de causis in numerum Anytes epigrammatum asciscere velimus carmen VII 190,

restat ut quaeramus, quomodo orta esse possit Pliniana illa notitia satis mira, quam cum hoc carmine comparare solent viri docti. Quem Plinii locum hac ratione interpretatur Stadtmuellerus, ut dicat fortasse eum pertinere ad Erinnae poetriae quoddam epigramma, quod ad nos non pervenerit, e quo carmine sit expressum et hoc et simile epigramma ab Argentario compositum. Ea tamen re credit erravisse Plinium, quod in notissimum statuarium transtulerit ea, quae in nescioquem adulescentulum, cui forte esset nomen Myroni, cantaverit Erinna. Aliter explicanda esse Plinii verba censet Reitzensteinius. Hic enim putat olim sub Erinnae nomine venditata esse permulta minuscula carmina suppositicia, in his etiam tria ea epigrammata, quae in Anthologia dantur huic mulieri,[1]) atque horum carminum syllogen, quae inscriberetur *ποιήματα* vel *ποιημάτια*,[2]) sensim paulatimque solitam esse edi una cum Erinnae *'Ηλακάτῃ*; spuriorum autem illorum carminum auctorem exempla sibi sumpsisse Anytes praesertim ac Nossidis poetriarum carmina, quamobcausam sit verisimile inter illa *ποιημάτια* fuisse quoddam epigramma, quod versaretur in eodem argumento atque carmen VII 190, nisi quod pro Myro puella esset inductus Myro quidam adulescens.

Multo magis sane mihi arridet Reitzensteinii quam Stadtmuelleri explicatio. Quum enim non dubitem, quin ab ipsa Anyte sit scriptum epigramma VII 190 atque praeterea credam equidem fecisse eam id in Myro poetriam, qua usa sit amica (id quod exposui in primo Capite), omnino facere non possum cum Stadtmuellero, qui ad meram retractationem vetustioris epigrammatis, ab Erinna compositi, redigere conatur hoc carmen. Ceterum fac exstitisse antiquioris

---

1) Anth. Gr. VI. 352. VII. 710. VII. 712.

2) Hunc fuisse titulum ei syllogae efficit ex Athenaei (L. VII. 283 D.) verbis his: *"Ηριννά τε ἢ ὁ πεποιηκως τὸ εἰς αὐτὴν ἀναφερόμενον ποιημάτιον.*

poetriae huiusmodi epigramma, quod Plinio notum etiam fuerit, nonne mirum tunc est, quod Marcus Argentarius in carmine suo VII 364 totus pendet ab Anyte nec respexisse videtur pristinum illud epigramma? Hac certe re praestat Reitzensteinii interpretatio, quod et pseudo-Erinnae et Argentarii carminis originem repetit ex communi fonte eoque Anytes epigrammate. Saepe tamen sum suspicata fortasse et huius explicationem longius esse quaesitam nec necesse esse ponamus praeter Anytes et Argentarii carmina tertium etiam eiusdem argumenti exstitisse, quod adscriberetur Erinnae. Est quidem verum a Plinio diserte memorari huius poetriae nomen, sed audacter tamen contendere ausim non necessario inde sequi huius adeo mulieris nec alterius eum respicere epigramma. Quotiens enim et ab antiquis auctoribus et ab hodiernis quoque scriptoribus confunduntur Graecarum poetriarum nomina! Semel mihi iam fuit occasio, et quidem in Praefatione mea, paucis disserendi de tali errore, quem commiserunt Pausanias, [1]) Aelianus, [2]) Suidas. [3]) Qui omnes litteris mandaverunt Pindarum quondam in certamine esse superatum a Corinna, quamquam ad hunc usque diem exstat ipsius Corinnae fragmentum, in quo ipsum illud certamen cum Pindaro initum vitio vertit illa Myrtidi. [4]) Neque nominum eiusmodi permutationum unicum hoc adstare exemplum vel inde apparet, quod ipse Stadtmuellerus, quantacumque vulgo est eius diligentia, in annotationibus, quibus instruxit epigramma VII 646, calami lapsu Nossidi vindicavit carmen VI 119, quod a Myro Byzantia esse compositum nemo negat. Nisi fallor tunc imprimis est periculum ne quis incidat in huiusmodi errores, cum

1) IX. 22. 3.
2) Var. Hist. XIII. 25.
3) s. v. Κόριννα.
4) Cf. quae de Corinnae fragm. 21 exposui pag. 9.

memoriter laudat alicuius poetriae versus. At persuasum mihi est Plinio, mentionem facienti de locustae ac cicadae communi monumento, praesto non fuisse scriptum aliquod, ipsum illud epigramma, e quo fluxit haec eius notitia, continens, verum memoria eum tenuisse versus eos, quorum tradidit argumentum.

Huc accedit, quod multorum epigrammatum primum distichon multo magis divulgatum fuisse videtur, quam reliqui erant versus, id quod confirmant variorum scriptorum illi loci, ubi alicuius epigrammatis nulli nisi duo priores occurrunt versus. Quodsi eius quoque epigrammatis, ad quod pertinet tota haec disputatio, prae ceteris versibus laudari solebant duo priores, facile fieri potuisse existimo, ut hoc adeo carmen, nec aliud ullum respexerit Plinius. Etenim si prius tantum distichon recordatus est ille, ita ut tota eius notitia sit referenda ad duos hos versus:

*'Ακρίδι, τᾷ κατ' ἄρουραν ἀηδόνι, καὶ δρυοκοίτᾳ*
*τέττιγι ξυνὸν τύμβον ἔτευξε Μυρώ,*

iam causas perspicimus duplicis, in quem incidit, erroris. Nam quid tunc mirum, quod inter se commutavit nomina propria *Μυρώ* et *Μύρων*, quum praesertim eorum utrumque in Latina lingua induat eandem formam Myro, ut Latinis auribus ita possent sonare versus duo laudati, quasi essent facti in Myronem statuarium. Quod autem Erinnae tribuit hos versus, qui debentur Anytae, huiusmodi errores haud ita esse raros apud scriptores, sicubi faciant mentionem de Graecarum poetriarum carminibus, supra iam vidimus. Ceterum quomodocumque est explicandus locus Plinianus, omnes certe eius interpretationes eae, quibus aut ab Anyte abiudicetur aut a vetustiore specimine derivetur epigramma VII 190, reiciendae mihi videntur.

Praeter duo carmina illa, quae hucusque tractavimus hac paragrapho, tertium etiam ad nos pervenit, in quo et ipso

statim agnoscimus Anytes artis proprietates, id dico epigramma, cuius textus apud Stadtmuellerum audit sic:

*Ἀντί τοι εὐλεχέος θαλάμου σεμνῶν θ' ὑμεναίων*
*μάτηρ στῆσε τάφῳ τῷδ' ἐπὶ μαρμαρίνῳ*
*παρθενικὰν μέτρον τε τεὸν καὶ κάλλος ἔχοισαν,*
*Θέρσι· ποτιφθεγκτὰ δ' ἔπλεο καὶ φθιμένα.*

In codice P hoc carmen, quod est epigramma 649 libri VII, a Correctore instructum est titulo sueto: *Ἀνύτης μελοποιοῦ*, sed in Pl$^{M}$, ubi in libri III$^{b}$ capite 20 (quod caput inscribitur *εἰς νέους καὶ νέας*) occupat sedem octavam, nullus ei appictus est titulus, unde fit ut in Pl$^{B}$ (capite 23 sub numero 27) superscriptum ei sit vocabulum *ἄδηλον*.

Continet epigramma laudatum aliquot voces, quae in iis quoque carminibus, quae semper ac ubique tribuuntur Anytae, prorsus eisdem sunt collocatae locis. Primum enim substantivum *μάτηρ* eandem occupat sedem in epigrammate VII 486, quippe cuius prior pentameter sic se habeat:

*μ ά τ η ρ ὠκύμορον παῖδ' ἐβόασε φίλαν.*

deinde dativus *τῷδε* pariter stat ab initio alterius coli in versu hoc:

*ἥμενος, ἀδηβόα τ ῷ δ ε κρέκεις δόνακι,*

qui versus est secundus Anytes epigrammatis XVI 231, postremo forma *τεόν* in carmine VII 649 adest eo loco, quo legitur dativus *τεῷ* in illo Anytes epigrammate, quod occurrit in Anthologiae appendice, quoniam huius carminis posterior hexameter constat ex his verbis:

*τοῖον ἐλαφρίζοντι τ ε ῷ ἐγκάτθετο κώλῳ.*

Finem praeterea nostri epigrammatis convenire cum exitu cuiusdam pentametri, qui procul dubio debetur Anytae, docet comparatio horum versuum:

VII. 649. 4. *Θέρσι· ποτιφθεγκτὰ δ' ἔπλεο καὶ φ θ ι μ έ ν α.*
VII. 724. 2. *Φειδία ἐν δνοφερῷ πένθει ἔθου φ θ ί μ ε ν ο ς.*

Iuxta quattuor, quae percensui, vocabula, quae eisdem versuum locis reperiuntur apud Anyten, in epigrammate

VII 649 nonnullae etiam occurrunt voces, quas aliis sedibus exhibent Tegeatidis poetriae carmina. Iure enim Stadtmuellerus ad hoc epigramma annotat formam ἔπλεο nos admonere primi versus carminis IX 144, utpote qui contineat formam ἔπλετο. Substantivum quoque κάλλος apte quadrare in Anytes sermonem testatur versus VII. 490. 3, qui incipit a genitivo κάλλευς. Praeterea voculam τοι, qua in primo versu finitur primus pes, esse inter eas voces, quibus delectetur Anyte, supra iam satis superque demonstrasse mihi videor.

Ut autem probemus profecto fide nostra dignum esse auctoris nomen, a Correctore epigrammati VII 649 adscriptum, alia etiam nobis suppetunt argumenta. Namque in hoc carmine obtemperatum esse eisdem legibus metricis, quas in Anytes poesi valere novimus, nunc ostendere est in animo. Vacat hoc epigramma Attica correptione, quam mediis certe in vocibus parcissime tantum adhibuisse nostram poetriam constat, at contra bis debili positione longa habetur vocalis natura brevis, in formis μέτρον et ἔπλεο. Praesertim propter priorem formam, cuius syllaba producta stat in thesi, existimo fidem esse habendam Correctori, hoc carmen Anytae tribuenti, quoniam hoc ipsum est proprium huius mulieris poeseos, quod aliquoties in thesi exhibet huiusmodi productiones. Postremo monere velim epigramma nostrum abundare homoeoteleutis, quae, uti novimus, in deliciis habet poetria Tegeaea. Etenim non solum in utroque pentametro sibi respondent colorum fines, sed in tertio etiam versu exhibent homoeoteleuta arses tertia atque quarta, ita ut posterior ille hexameter comparari possit cum Anytes versibus VI. 153. 1, VI. 153. 2, VI. 312. 2, VII. 646. 4, VII. 724. 4, XVI. 228. 1, in quibus etiam adesse talia homoeoteleuta vidimus in praecedentibus (pag. 143).

Etsi igitur multis variisque de causis laudo, quod novissimus Anthologiae editor probavit auctoris nomen a Cor-

rectore epigrammati VII 649 adscriptum, tamen simul monere velim non omni ex parte mihi placere carminis textum, quem constituit Stadtmuellerus. Ut enim satisfaciamus Anytes sermoni atque dialecto duae mutationes prorsus necessariae mihi videntur. Nempe arbitror in poetriae sermonis consuetudinem non cadere formas μαρμαρίνῳ et ἔχοισαν, quae apud recentissimum editorem leguntur in finibus versuum secundi atque tertii.

Quod priorem formam a scribis A et C profectam (pro qua μαρμαρίναν exhibet Planudea Anthologia) non repudiavit Stadtmuellerus, id miror eo magis, quod, ut ipse ille memorat in annotationibus, iam Dorvillius suasit ut pro ea reponeretur forma μαρμαρέῳ; quam lectionem summo iure eum commendasse testatur Anytes versus VI. 123. 3: ἀλλ' ἀνὰ μ α ρ μ ά ρ ε ο ν δόμον ἥμενα αἰπὺν Ἀθάνας. Ceterum acu rem tetigisse Dorvillium inde etiam licet efficere, quod in universum omnia adiectiva in -εος, sive ad materiem sive ad colorem pertinentia, pergrata fuisse videntur nostrae poetriae, cui rei sunt indicio formae hae: χάλκεον (VI. 123. 2), μαρμάρεον (VI. 123. 3), πορφυρέα (VII. 215. 5), κυάνεος (VII. 646. 4), ῥοδέαν (IX. 745. 4). Ab altera autem parte proclivis est coniectura librarios a iusta forma, quae fortasse in eorum exemplaribus per compendium esset scripta, aberrasse ad formam μαρμαρίνῳ, quod ipsis esset in usu adiectivum μαρμάρινος; Lemmatista certe epigramma Simonideum VII 344 instruxit lemmate hoc: Εἰς Λέοντά τινα ὃν ἐφρούρει λέων μ α ρ μ ά ρ ι ν ο ς. Ex quo intelligitur non nimis esse violentam correctionem eam, quam duce Dorvillio afferam textui prioris pentametri carminis VII 649.

Quod attinet ad Aeolicam formam ἔχοισαν, in codice P obviam, quam Stadtmuellerus praetulit Planudeae lectioni ἔχουσαν, mihi quidem damnare eam videntur participia ἀγκαλέουσα et βαλοῦσα, quae continentur Anytes epigram-

matis VII 486 et VII 646; accedit etiam quod poetriam componentem versum illum:

*παρθενικὰν μέτρον τε τεὸν καὶ κάλλος ἔχουσαν*

immemorem non puto fuisse huius versus Homerici:[1])

*πὰρ δὲ δύ' ἀμφίπολοι, Χαρίτων ἄπο κάλλος ἔχουσαι.*

Quodsi recte sum suspicata Anytes versum VII. 649. 3 esse derivatum ex Odysseae loco laudato, iam nullam video causam cur credam poetriam formam *ἔχουσαν*, optime quadrantem in ipsius sermonem, permutasse insueta forma *ἔχοισαν*. Itaque in numerum Anytes carminum assumamus etiam epigramma VII 649, ita tamen ut in fine secundi versus legamus *μαρμαρέῳ* utque sequentem versum finiamus forma *ἔχουσαν*.

Restant septem epigrammata, quae, quamvis ab Anytes poesi aliena esse videantur omnia, interdum tamen tribuuntur huic poetriae. Sunt autem Anthologiae Graecae carmina VII 189, VII 232, VII 236, VII 238, VII 492, VII 538, XVI 229, quae nunc deinceps tractabo eo ordine, quo ea percensui.

Epigramma VII 189 ($Pl^M$ L. $III^b$ cap. 21, quod inscribitur *εἰς ὄρνεις*, 1. $Pl^B$ L. III. cap. 24. 12), quod constat ex quattuor his versibus:

*Οὐκέτι δή σε, λίγεια, κατ' ἀφνεὸν 'Αλκίδος οἶκον,*
*ἀκρί, μελιζομέναν ὄψεται 'Αέλιος·*
*ἤδη γὰρ λειμῶνας ἐπὶ Κλυμένου πεπότησαι*
*καὶ δροσερὰ χρυσέας ἄνθεα Περσεφόνας,*

diserte vindicatur Tegeatidi poetriae in Planudis autographo, quoniam ibi additus ei est titulus: *'Ανύτης;* in codice vero Palatino Corrector ei adscripsit: *ἀριστοδίκου ῥοδίου*.

Licet primo obtutu credat aliquis hoc epigramma componi potuisse ab eadem poetria, cui debemus carmen VII 215, pariter ab initio exhibens verba *Οὐκέτι δή*, atque carmen VII 190, in quo etiam deploratur mors locustae

1) Odyss. VI. 18.

dilectae, tamen, si contulerit cetera omnia Anthologiae epigrammata, quae in simili versantur argumento, in hac sententia permansurum eum non puto. Quid enim? Mnasalcas poeta, a quo factum est notissimum illud epigramma in Democriti locustam,[1]) alteram etiam deploravit locustam mortuam epigrammate VII 192, quod carmen ob oculos versatum esse videtur auctori epigrammatis VII 189. Namque poemate laudato Mnasalcas cantavit haec:

*Οὐκέτι δὴ πτερύγεσσι λιγυφθόγγοισιν ἀείσεις,*
*ἀκρί, κατ' εὐκάρπους αὔλακας ἑζομένα,*
*οὐδέ με κεκλιμένον σκιερὰν ὑπὸ φυλλάδα τέρψεις*
*ξουθᾶν ἐκ πτερύγων ἁδὺ κρέκουσα μέλος,*

ita ut appareat auctorem carminis VII 189 non solum hinc deprompsisse verba initialia versuum primi atque secundi, verum etiam, quum uteretur vocabulis *λίγεια* atque *μελιζομέναν*, spectavisse voces *λιγυφθόγγοισιν* atque *μέλος*, a Mnasalca usurpatas. At ne forte quis inclinet in hanc sententiam Mnasalcae potius epigramma esse referendum ad carmen VII 189, quod scriptum esse videatur ab Anyte, quam mulierem et aliis multis poetis et Mnasalcae quoque monstrasse viam in arte epigrammatica variis constet de causis, statim addam meo quidem iudicio unam praesertim obstare voculam, quominus nostrae poetriae tribuamus carmen id, de cuius auctore nunc quaerimus. Etenim epigramma VII 189 in secunda arsi tertii versus exhibet vocem *γάρ*, cui, quantum scimus hodie, numquam hanc sedem assignavit Anyte, quae in thesi collocare solet hanc vocem, quum contra tulerunt aetatem Mnasalcae nonnulla carmina, in quibus prorsus eodem loco occurrit haec vocula, ut ostendunt versus sequentes:

VI. 128. 3. *πολλάκι γὰρ κατὰ δῆριν Ἀλεξάνδρου μετὰ χερσίν.*
VII. 171. 3. *ὤλετο γὰρ Ποίμανδρος ὁ Μάλιος οὐδ' ἔτι ναῖται.*
VII. 212. 3. *πολλαῖς γὰρ νάεσσιν ἰσόδρομον ἄνυσε μᾶκος.*

---

[1]) Anth. Gr. VII 194.

Ceterum argumentum quoque ac sermonem carminis VII 189 vix quadrare dixerim in Anytes poesin. Quia enim poetriae carminibus, in dilectorum animalium mortem factis, nihil solet cantari nisi mortis casus atque dominorum dolor, abstinet vero in iis Anyte a mythologica illa doctrina, quam prae se fert huius epigrammatis auctor, verba illa *ἤδη γὰρ λειμῶνας ἐπὶ Κλυμένου πεπότησαι*, de parva bestiola potius ironice quam serio dicta, abhorrere mihi videntur a poetriae sermone satis simplici. Denique, re bene perpensa facere non possum, quin ab Anyte abiudicem hoc carmen habeamque fidem Correctori vindicanti id Aristodico Rhodio, quem poetam existimo fuisse unum e Mnasalcae sectatoribus.

Iam transeamus ad epigramma VII 232 ($Pl^M$ L. $III^b$ cap. 4, cui est titulus *εἰς ἀνδρείους*, 1. $Pl^B$ L. III cap. 5. 39), quod carmen hunc in modum edidit Stadtmuellerus:

*Λύδιον οὖδας ἔχει τόδ' Ἀμύντορα, παῖδα Φιλίππου,*
*πολλὰ σιδηρείης χερσὶ θιγόντα μάχης·*
*οὐδέ μιν ἀλγινόεσσα νόσος δόμον ἄγαγε Νυκτός,*
*ἀλλ' ὄλετ' ἀμφ' ἑτάρῳ σχὼν κυκλόεσσαν ἴτυν.*

Quid mihi videatur de hoc epigrammate, quod a Planude datur Anytae atque in Matritensi codice, quamquam carens titulo, insertum est poetriae carminum syllogae, quod vero a Correctore instructum est lemmate *ἀντιπάτρου*, paucis potero exponere, quia hisce postremis annis recentissimus Anthologiae editor in uberiore annotatione quaesivit, a quonam poeta profectum id esset. Tribus rebus commendari Planudeum testimonium recte vidit Stadtmuellerus; primum enim inter se conveniunt argumenta postremi huius carminis versus et quarti versus Anytes epigrammatis VII 724, quem audire novimus sic: *ὡς ἔθανες πρὸ φίλας μαρνάμενος πατρίδος*, deinde in tertio huius poematis versu adest forma *δόμον*, quam exhibet etiam nostrae poetriae versus VI. 123, 3, postremo dativus *χερσί* in priore

pentametro eandem occupat sedem, quam in Anytes versu XVI. 291. 4. His nihil addere velim nisi levem hanc observatiunculam accusativum *δόμον* vel bis occurrere apud nostram, quum legatur etiam in fine versus VII. 490. 2. Verum haec in parenthesi; iam pergo enarrare Stadtmuelleri argumentationem. Namque porro ille disputavit in hanc sententiam nihilominus ab Anyte abiudicandum esse hoc carmen, quod esse factum ab Antipatro Sidonio doceant huius poetae epigrammata VII 711 atque VII 241. Nempe in priore poemate, quod est factum in Clinaretam puellam, quae ante initum matrimonium morbo obiit, occurrit haec locutio: *ἀφαρπάξασα δὲ νοῦσος παρθενικὰν Λάθας ἄγαγεν ἐς πέλαγος*, quae in memoriam nobis revocat epigrammatis VII 232 posteriorem hexametrum: *οὐδέ μιν ἀλγινόεσσα νόσος δόμον ἄγαγε Νυκτός*, atque in fine alterius epigrammatis Antipater Ptolemaeum mortuum alloquitur his verbis:

*ὤλεο γὰρ διὰ λοιμὸν ὅλας θοινήτορα χέρσου,*
*πρὶν πατέρων νεαρᾷ σκᾶπτρον ἑλεῖν παλάμᾳ.*
*οὐδέ σε νὺξ ἐκ νυκτὸς ἐδέξατο· δὴ γὰρ ἄνακτας*
*τοίους οὐκ Ἀίδας, Ζεὺς δ' ἐς Ὄλυμπον ἄγει,*

ut appareat et huius carminis et epigrammatis VII 232 versus paenultimos vocabula quaedam habere communia.

Sane necesse est concedamus Stadtmuellero carminis, ad quod pertinet haec disputatiuncula, tam argumentum quam sermonem esse eiusmodi, ut abhorrere non videatur ab Antipatri Sidonii poesi, sed quum ab altera parte negari non possit etiam in eo occurrere haud pauca vocabula in Anytes quoque epigrammatis obvia, nondum id effecisse puto Stadtmuellerum, ut omnia dubia nostra sustulerit. Itaque quaerenti mihi praeberetne fortasse carmen VII 232 aliud vestigium alterutrius poetae proprietatum, venit in mentem raro, immo rarissime, tantum usam esse Anyten Attica correptione mediis in vocibus et quidem nusquam,

quoad scirem, nisi in nominibus substantivis. At in hoc carmine brevis habetur vocalis *υ* in adiectivo *κυκλόεσσαν*, quod continetur postremo versu. Ad ea igitur argumenta, quae congessit Stadtmuellerus, hoc quoque haud parvi accedit momenti, formam *κυκλόεσσαν* pugnare cum Anytes re metrica, quum contra nihil obstare videatur, quominus ponamus profectam eam esse ab Antipatro Sidonio. Nam certe ex iis epigrammatis, quae ab ipso hoc nec a cognomini poeta composita esse pro certo affirmat Stadtmuellerus, has collegi formas Atticam exhibentes correptionem: *ἄτρακτον* (VI. 160. 3), *διέκρινε* (VI. 174. 6), *πολύθριξ* (VI. 276. 1), *ἀφροδίτην* (VII. 218. 7), *κέκριμαι* (VII. 426. 4), quae affatim ostendunt interdum etiam extra nomina substantiva mediis in vocibus negligi debilem positionem ab hoc poeta. Quae quum ita sint, dubium iam non videtur quin oporteat Correctore duce ab Anyte abiudicemus ac Antipatro Sidonio tribuamus epigramma VII 232.

Continuo post hoc carmen et in Planudis autographo et in Pl^B sequitur epigramma VII 236, quod constat ex sequenti disticho:

*Οὐχὶ Θεμιστοκλέους Μάγνης τάφος, ἀλλὰ κέχωσμαι*
*Ἑλλήνων φθονερῆς σῆμα κακοκρισίης.*

Itaque verbis *τῆς αὐτῆς*, quae ad hoc epigramma exaravit Planudes, significare voluit a Tegeaea poetria profectum id sibi videri, qua ex re factum est ut scriptor codicis Matritensis hoc quoque carmen asciverit in syllogen Anytes poematum, licet huic adeo epigrammati nullum addiderit titulum. In codice Palatino, in quo olim scriba A ita exaraverat textum huius atque sequentis carminis, ut in unum coaluissent duo illa epigrammata, Corrector demum iustum reddidit ambitum utrique carmini; deinde autem idem librarius epigrammata VII 236 atque 237 tribus instruxit auctorum nominibus, e quibus tamen postea ipse induxit id, quod medio posuerat loco. Ex reliquis duobus

prius nomen ἀντιπάτρου Θεσσαλονικέως referre solent editores ad carmen, de cuius auctore nunc a nobis quaeritur, quum posterius nomen ἀλφειοῦ μιτυληναίου ad epigramma nullum nisi VII 237 spectare diserte monet Stadtmuellerus.[1]) Ecce igitur duo rursus testimonia, quorum alterum Anytae, alterum alii poetae vindicat idem epigramma VII 236. Attamen multis verbis opus non erit, opinor, ut legentibus persuadeam denuo errasse Planudem. Statim enim cuivis appareat necesse est huius carminis dialectum non esse eam, qua uti solet Anyte. Namque audacter affirmare licet hanc mulierem, si id genus epigramma composuisset, finalia verba redacturam fuisse in hanc formam: φθονερᾶς σᾶμα [2]) κακοκρισίας. Et nunc nolite mihi obicere fortasse per librariorum socordiam, similiter ac in alia nonnulla Anytes carmina, huc quoque irrepsisse formas quasdam vitiosas, nam in hoc quidem carmen non cadere videtur illa suspicio. Scilicet in reliquis poetriae epigrammatis plerumque sic se habet res, ut, si unus codex exhibet falsam aliquam formam, hanc redarguat aut eiusdem carminis varia textus lectio, quae continetur altero codice, aut genuinae quaedam formae Doricae in eodem epigrammate consensu traditae. [3]) Quum vero epigrammatis VII 236 textus nusquam Dorica dialecto conscriptus legatur, at contra inter se consentiant codices de Ionicis formis, fieri non potest quin sumamus a Planude per errorem inter Anytes carmina relatum esse hoc epigramma.

Ab altera parte non esse quod diffidamus auctoris nomini, a Correctore huic carmini adscripto, docet epigramma VII

1) **Anth. ed. vol. II. pag. 161. in notis.**

2) Cf. versus VII. 486. 1 finis: κόρας ἐπὶ σάματι Κλεινώ.

3) Veluti in ep. VII 486 Pl$^{M}$ falso exhibet formas ἐβόησε atque ψυχήν, pro quibus in cod. P recte legitur ἐβόασε et ψυχάν: contra Planudes servavit iustam lectionem σάματι, quae in altero codice abiit in σήματι: consentiunt vero codices de Doricis formis μάτηρ, φίλαν, ἅ, ἔβα.

629, cuius textum efficiunt quattuor versus sequentes:

Ἡ χθαμαλὴν ὑπέδυς ὁ τόσος κόνιν; εἰς σέ τις ἀθρῶν,
Σώκρατες, Ἑλλήνων μέμψεται ἀκρισίην·
νηλέες, οἳ τὸν ἄριστον ἀπώλεσαν οὐδὲ ἐν αἰδοῖ
δόντες. τοιοῦτοι πολλάκι Κεκροπίδαι.

Quod carmen, etsi in eius titulo Antipatri nomini neque Corrector neque Planudes addidit gentile nomen, sine dubio tamen est compositum a Thessalonicensi poeta, id quod inde praesertim efficimus, quod continetur Philippeae coronae fragmento eo, quod constat ex carminibus VII 622—645 ordine alphabetico sese excipientibus. [1]) Primum autem Antipatri epigramma laudatum in simili versatur argumento atque carmen VII 236, quoniam in utroque vituperatur Atheniensium invidia in viros optime de se meritos ac deinde propter sermonis quoque atque dialecti similitudinem eidem poetae vindicanda esse videntur duo haec carmina. Arcte imprimis inter se conveniunt utriusque epigrammatis versus secundi, quippe qui audiant sic:

VII. 236. 2. Ἑλλήνων φθονερῆς σῆμα κακοκρισίης.
VII. 629. 2. Σώκρατες, Ἑλλήνων μέμψεται ἀκρισίην.

Confirmare porro videtur Correctoris testimonium ipse locus, quem in Palatina Anthologia occupat epigramma, quod spectat haec nostra disputatiuncula. Namque in codice P hoc carmen et praecedunt et sequuntur nonnulla Philippeorum poetarum epigrammata, quam ob causam primus Weigandius [2]) censuit in numerum Philippeae coronae fragmentorum referendam etiam esse eam epigrammatum seriem, quam efficiunt carmina VII 233—240, cui opinioni assensus est Stadtmuellerus in Anthologiae Graecae editione sua. [3])

---

[1]) Cf. Weisshaeupl. pag. 16.

[2]) Cf. ibidem pag. 15.

[3]) In annotatione marginali iuxta carmen VII 233 vitio typothetico pro epigrammatis 233—240, quae voluit editor, indicantur carmina 223—240.

Quodsi iure statuerunt viri illi praestantissimi epigrammata VII 233—240 omnia deberi recentioribus illis poetis, quorum operum aliqua pars ex ea sylloge, quam ordinaverat Philippus Thessalonicensis, transiit in Anthologiam, sequitur ut epigramma VII 236 scriptum esse non possit ab Anyte, cuius carmina, in Anthologia obvia, fluxisse novimus e Meleagrea corona, possit vero ab Antipatro Thessalonicensi, qui est inter eos poetas, quorum epigrammata collegit Philippus.

Quae quum ita sint, gaudeo quod nulla re cogimur Anytae adscribere epigramma continens formam *Θεμιστοκλέους*, cuius syllaba media exhibet Atticam correptionem. Etenim, licet fortasse vel apud ipsam nostram poetriam excusari posset metrica illa licentia, quippe in substantivo et quidem proprio nomine, tamen persuasum mihi est, quam maxime fieri possit, ab Anyte esse abiudicanda omnia carmina ea, in quibus huiusmodi occurrant correptiones.

Pervenimus nunc ad epigramma VII 238 ($Pl^M$ L. $III^b$ cap. 4, quod inscribitur *εἰς ἀνδρείους*, 3. $Pl^B$ L. III cap. 5. 41), quod carmen nusquam nisi in Matritensi codice adnumeratur Anytes epigrammatis, quoniam in Planudis autographo expers est tituli atque in Palatina Anthologia a librario A datur Adaeo poetae. Est autem per se testis minime locuples auctor codicis Matritensis, quem hausisse vidimus [1]) ex Anthologiae Planudeae codice quodam, ita ut iam statim suspicari liceat per errorem eum Anytes epigrammatum corollae inseruisse hoc carmen, quod a poetriae arte sit alienum. Accedit quod, si erravit ille, in aprico est causa eius, quem commisit, erroris. Etenim de carminibus VII 232, VII 236, VII 238, quae in Planudea Anthologia continuam efficiunt seriem, [2]) primum inscribitur *Ἀνύτης*, secun-

---

1) In fine Capitis II.

2) In $Pl^M$ epigrammata sunt $III^b$. 4. 1—3.

dum *τῆς αὐτῆς*, tertium vero caret titulo, qua re facillime fieri potest, ut, qui negligenter describat tria haec epigrammata, duorum ultimorum continuet textus. At revera in Matritensi codice unius carminis instar sunt epigrammata VII 236 et 238, nam prioris disticho subiuncti leguntur posterioris versus quattuor, qui audiunt sic:

*Ἠμαθίην ὃς πρῶτος ἐς Ἄρεα βῆσα Φίλιππος,*
*Αἰγαίην κεῖμαι βῶλον ἐφεσσάμενος,*
*ῥέξας οἷ' οὔπω βασιλεὺς τὸ πρίν. εἰ δέ τις αὐχεῖ*
*μεῖζον ἐμεῦ, καὶ τοῦθ' αἵματος ἡμετέρου.*

Quum autem huius carminis tam dialectus quam argumentum abhorreat ab Anytes poesi atque praeterea codicis Matritensis nihili fere sit auctoritas ad diiudicandam quaestionem de epigrammatis auctore, non est quod id vindicemus nostrae poetriae. Itaque sive iustum carminis titulum nobis tradidit librarius A, sive recte putat Bergkius epigramma esse profectum ab Alcaeo Messenio atque in eius exitu designari Philippum V, ab Anyte utique abiudicandum nobis est carmen VII 238.

Sequitur epigramma VII 492 ($Pl^M$ L. $III^b$ cap. 20, cui est titulus *εἰς νέους καὶ νέας*, 9. $Pl^B$ L. III cap. 23. 28), quod hunc in modum edidit Stadtmuellerus:

*Οἰχόμεθ', ὦ Μίλητε φίλη πατρί, τῶν ἀθεμίστων*
*τὰν ἄνομον Γαλατᾶν ὕβριν ἀναινόμεναι,*
*παρθενικαὶ τρισσαί, πολιήτιδες, ἃς ὁ βιατὰς*
*Κελτῶν εἰς ταύτην μοῖραν ἔτρεψεν Ἄρης.*
*οὐ γὰρ ἐμείναμεν αἷμα τὸ δυσσεβὲς οὐδ' Ὑμέναιον,*
*νυμφίον ἀλλ' Ἀίδην κηδεμόν' εὑρόμεθα.*

Illustratur textus huius carminis narratiuncula Parthenii, qui scriptor initio Capitis octavi Libri *περὶ ἐρωτικῶν παθημάτων* litteris mandavit haec: *Ὅτε δὲ οἱ Γαλάται κατέδραμον τὴν Ἰωνίαν καὶ τὰς πόλεις ἐπόρθουν, ἐν Μιλήτῳ Θεσμοφορίων ὄντων καὶ συνηθροισμένων γυναικῶν ἐν τῷ ἱερῷ, ὃ*

βραχὺ τῆς πόλεως ἀπέχει, ἀποσπασθέν τι μέρος τοῦ βαρβαρικοῦ διῆλθεν εἰς τὴν Μιλησίαν καὶ ἐξαπιναίως ἐπιδραμὸν ἀνεῖλεν τὰς γυναῖκας. Ἔνθα δὴ τὰς μὲν ἐρύσαντο πολὺ ἀργύριόν τε καὶ χρυσίον ἀντιδόντες, τινὲς δὲ τῶν βαρβάρων αὐταῖς οἰκειωθέντων ἀπήχθησαν, ἐν δὲ αὐταῖς καὶ Ἡρίππη, γυνὴ Ξάνθου, ἀνδρὸς ἐν Μιλήτῳ πάνυ δοκίμου γένους τε τοῦ πρώτου, παιδίον ἀπολιποῦσα διετές. Praeterea cum epigrammate laudato comparari solet locus Sancti Hieronymi, apud quem in Libro primo adversus Iovinianum occurrunt haec verba: „Quis valeat silentio praeterire septem Milesias virgines, quae Gallorum impetu cuncta vastante, ne quid indecens ab hostibus sustinerent, turpitudinem morte fugerunt, exemplum sui cunctis virginibus relinquentes, honestis mentibus magis pudicitiam curae esse quam vitam."[1])

Existimat Knaackius[2]) res epigrammate VII 492 et Parthenii atque Hieronymi laudatis locis celebratas posse referri ad annos circiter 280—278 a. Chr. n.; paulo post autem esse ponendam Milesiarum virginum mortem monent hodierni historici. Veluti vir doctissimus van Gelder in specimine inaugurali argumentatus est autumno anni 278 in Asiam traiecisse Gallos,[3]) prope Miletum[4]) vero moratos eos esse, antequam sint fusi ab Antiocho Sotere, qui circa annum 272[5]) victoriam de eis reportaverit. Gallorum illius irruptionis tempora accuratius etiam nuper definiisse videtur Niesius.[6]) Qui exposuit ad annos quidem 278/7 referendum esse eorum transitum in Asiam, sed, quum primis tem-

---

1) Descripsi haec ex parte 2 tom. IV eius Hieronymi editionis, quae inter annos 1693 atque 1706 prodiit Parisiis.

2) Apud Susemihl. Tom. II. pag. 529 annot. 50.

3) Cf. H. van Gelder. De Gallis in Graecia et Asia. pag. 116.

4) Cf. ibidem pag. 120.

5) Cf. ibidem pag. 128.

6) Cf. Benedictus Niese. Geschichte der griechischen und makedonischen Staaten seit der Schlacht bei Chaeronea. II. pagg. 78—83 atque praesertim ann. 4. pag. 79.

poribus bello fuerint intenti, quod inter se gerebant Nicomedes et Zipoetes, Bithynorum principes, non ante annum 277 sollicitari ab eis coeptum esse Antiochi regnum; pacem autem ab Antiocho cum Gallis esse factam circa annum 275. Itaque Niesii opinione inter annos 277—275 manus sibi consciverunt virgines Milesiae, quarum laudes dicuntur ep. VII 492.

Videamus nunc quibus auctorum indicibus in codicibus instructum sit hoc epigramma. Docet nos Stadtmuellerus in Planudis autographo omissum esse titulum, in codice vero P a Correctore huic carmini esse adscripta mira verba: ἀνύτης μιτυληναίας, quorum posterius compendiose sit exaratum. Fieri vix posse ut ab omni parte recte se habeat titulus ille a Correctore profectus vel ex eo intelligitur, quod epigramma VII 492 continetur longiore fragmento coronae Meleagreae, quod constat ex carminibus VII 406—506.[1]) Quia enim Meleager in prooemio unam modo memorat Anyten,[2]) quam poetriam ex urbe Tegea esse oriundam testatur Pollux,[3]) confirmare videtur Stephanus Byzantius,[4]) apparet, ut sit retinendum auctoris nomen in titulo carminis VII 492, reiciendum tamen nobis esse nomen gentile. Nec nimia audacia opus nobis esse ad eliminandam vocem illam μιτυληναίας, iam exposui pag. 14, ubi percensui quaedam lemmata, in quibus idem Corrector aliarum etiam poetriarum nominibus perperam subiunxit gentilia μιτυληναίας vel λεσβίας.

Restat igitur ut quaeramus sitne fortasse per se fide nostra dignum auctoris nomen in codice P epigrammati VII 492 adscriptum. Quod ad chronologiam attinet nihil obstat, ne credamus ab Anyte nostra factum esse hoc

---

[1]) Cf. Weisshaeupl. pagg. 7—9 et pag. 25 sq.

[2]) Anth. Gr. IV. 1. 5.

[3]) V. 48.

[4]) Vid. supra pagg. 11—15.

carmen in eas virgines Milesias, quae inter annos fere 277 atque 275 videntur mortem oppetivisse. Etenim, si supra iure statuimus circa annum 320 natam esse poetriam, fieri etiam potuit ut, aetate paulo provectiore quum esset, cantaverit miseram illarum virginum sortem, cuius fama sine dubio mox per totam Graeciam percrebruit.

Et tamen nil miror, quod a recentioribus editoribus fere solet abiudicari ab Anyte hoc carmen. Primum enim eius argumentum non est ex iis, quibus delectatur nostra poetria, quae saepe quidem carminibus suis cecinit virgines morte praematura parentibus ac sponsis ereptas, numquam vero, quantum scimus hodie, celebravit fortitudinem earum virginum, quae ad pudicitiam suam servandam ipsae necem sibi conscivissent. Deinde autem quod in hoc epigrammate copia Ionicarum formarum consensu traditarum maior esse videtur quam ut omnes illae formae librariorum incuriae deberi putentur [1]) atque ab altera parte in Palatino praesertim codice non prorsus desunt Doricae dialecti vestigia, [2]) licet suspicari non ab Anyte, quam poetriam Doridem sequi dialectum novimus, sed ab aliquo auctore, qui mixto utebatur sermone, conscriptum esse hoc epigramma.

His ac similibus de causis puto esse factum, ut et Reitzensteinius [3]) et Stadtmuellerus ab Anytes carminum reliquiis semoverint epigramma, quo cantatur interitus virginum Milesiarum. Gaudeo autem quod iis argumentis, quibus usi esse videntur viri illi docti, novum nunc argumentum neque id levissimum addere posse mihi videor. Mea enim opinione haec quoque res obstat, quominus Anytae vindicemus epigramma VII 492, quod bis exhibet Atticam correptionem medio in vocabulo, et quidem in

---

1) Codd. P et Pl$^{M}$ consensu exhibent formas Ionicas: *Μίλητε, Φίλη, πολιήτιδες, ταύτην, Ἀίδην, κηδεμόν'*.

2) In v. 2 hic codex praebet formas *τάν* et *Γαλατᾶν*.

3) Epigr. u. Skol. pag. 123.

voce πατρί, quae occurrit in primo versu, atque in forma ἔτρεψεν, quae continetur altero pentametro. Nam licet illam correptionem fortasse ne ipsa quidem recusavisset nostra poetria, quam constat non magis produxisse τὸ α in genitivo πατρίδος, quo finitur epigramma VII 724, hanc tamen correptionem omnino non quadrare arbitror in Anytes rem metricam, quia in iis carminibus, quae iustis de causis poetriae sunt adscribenda, in verborum certe formis numquam negligitur debilis positio, sed contra aliquoties longae habentur vocales natura breves sequentibus muta et liquida. Augmentorum imprimis ac reduplicationum syllabas haud ita raro debili positione longas usurpasse Anyten hae ostendunt formae: ἔπλεο (VII. 649. 4), ἔπλετο (IX. 144. 1), κεκμηῶσιν (IX. 314. 3), τετρυμένα (XVI. 228. 1), κεκμηῶτα (XVI. 291. 3).

Itaque videmus e formis πατρί atque ἔτρεψεν alteram vix, alteram vero omnino non referri posse videri ad artem nostrae poetriae, quae semper fecit quod potuit, ut abstineret Attica correptione mediis in vocibus. Quum igitur ad ea argumenta, quibus iam pridem alii sunt usi, ut demonstrarent ab Anytes poesi abhorrere epigramma VII 492, novum nunc accedat idque repetitum a re metrica, vix quemquam etiamnunc Tegeaeae poetriae tribuere velle suspicor id carmen. Nihil ergo proficimus, si e titulo tollimus solum gentile nomen; ipsum nomen auctoris, etsi id tradidit Corrector, quem novimus non crebros commisisse errores in adscribendis auctorum indicibus, fieri non potest quin aversemur.

Antequam autem transeam ad sequens epigramma, id quoque quaerere lubet, utrum iure an iniuria Stadtmuellerus censeat Antonio Thallo Milesio, cuius aliquot epigrammata continentur Graeca Anthologia, etiam vindicandum esse carmen in trium Milesiarum mortem. Ut ipse monet ille in annotationibus, prae ceteris Thalli poematis cum

carmine VII 492 imprimis sunt comparanda epigrammata VII 188 atque VII 373, quippe quae audiant sic:

VII. 188.

*Δύσδαιμον Κλεάνασσα, σὺ μὲν γάμῳ ἔπλεο, κούρη,*
*ὥριος, ἀκμαίης οἷά τ' ἐφ' ἡλικίης·*
*ἀλλὰ τεοῖς θαλάμοισι γαμοστόλος οὐχ Ὑμέναιος*
*οὐδ' Ἥρης ζυγίης λαμπάδες ἠντίασαν,*
*πένθιμος ἀλλ' Ἀίδης ἐπεκώμασεν, ἀμφὶ δ' Ἐρινὺς*
*φοίνιος ἐκ στομάτων μόρσιμον ἧκεν ὄπα.*
*ἤματι δ' ᾧ νυμφεῖος ἀνήπτετο λαμπάδι παστάς,*
*τούτῳ πυρκαϊῆς, οὐ θαλάμων ἔτυχες.*

VII. 373.

*Δισσὰ φάη, Μίλητε, τεῆς βλαστήματα γαίης,*
*Ἰταλὶς ὠκυμόρους ἀμφεκάλυψε κόνις.*
*πένθεα δὲ στεφάνων ἠλλάξαο· λείψανα δ', αἰαῖ,*
*ἔδρακες ἐν βαιῇ κάλπιδι κευθόμενα.*
*φεῦ, πάτρα τριτάλαινα· πόθεν πάλιν ἢ πότε τοίους*
*ἀστέρας αὐχήσεις Ἑλλάδι λαμπομένους;*

Apparet utrumque carmen, quod indicavit Stadtmuellerus, exhibere quasdam voces vel verborum coniunctiones, quae proxime accedant ad locutiones nonnullas in epigrammate de virginibus Milesiis obvias. Veluti finalia verba versus VII. 188. 3: *οὐχ Ὑμέναιος* in memoriam nobis revocant exitum quinti versus epigrammatis VII 492: *οὐδ' Ὑμέναιον* atque cum priore colo ultimi pentametri eius carminis, de quo praesertim nunc quaerimus, quod colon est huiusmodi: *νυμφίον ἀλλ' Ἀίδην* satis convenit initium quinti versus in priore, quod modo exscripsimus, poemate, nam incipit ille versus a verbis: *πένθιμος ἀλλ' Ἀίδης*. Carmina autem VII 492 et VII 373 ea imprimis re concinunt, quod in utroque prorsus eandem occupat sedem vocativus *Μίλητε*, qui occurrit in primis versibus. Sed alia etiam est causa, cur haud infelix possit alicui videri Stadtmuelleri coniectura. Nempe vidimus supra (pag. 175) epigramma VII 492

probabiliter esse scriptum ab eo poeta, qui perinde Doricis ac Ionicis formis soleret uti in carminibus suis conscribendis; at revera mixtum eiusmodi sermonem fuisse Thallo Milesio docet comparatio carminum VII 188 et VII 373, in quibus pullulant Ionicae terminationes, cum eiusdem poetae epigrammate IX 220, in quo iam statim Doricas aliquot exhibet formas primum distichon, quod hunc in modum edidit Jacobsius:

Ἁ χλοερὰ πλατάνιστος ἴδ' ὡς ἔκρυψε φιλεύντων
ὄργια, τὰν ἱερὰν φυλλάδα τεινομένα.

Et tamen, quamvis felix primo obtutu videri nobis possit Stadtmuelleri suspicio, nihilominus magnopere dubito an non acu ille rem tetigerit. Namque duae imprimis res obstare mihi videntur, quominus ei assentiamur. Non solum enim ideo ab Antonio Thallo alienum putaverim epigramma VII 492, quod in eo bis occurrat Attica correptio media in voce, sed hac praesertim de causa, quod in Palatina Anthologia contineatur id carmen longissimo illo Meleagreae coronae fragmento, quod constet ex epigrammatis VII 406—506. Quod ad priorem attinet difficultatem, perlegenti mihi quinque ea carmina, quae in Anthologia inscripta sunt Thalli nomine, et quidem VI 91, VI 235, VII 188, VII 373, IX 220, apparuit ne semel quidem eorum auctorem medio in vocabulo brevem usurpasse vocalem, quam exciperent muta et liquida, aliquoties vero debili positione produxisse vocales natura breves neque id solum arsis vi accedente, verum interdum vel in thesi; in quinque enim illis epigrammatis eiusmodi productiones in arsi occurrere in his vocibus: ἴχνος (VI. 235. 5), ἔπλεο (VII. 188. 1), ἀκμαίης (VII. 188. 2), ἔδρακες (VII. 373. 4), ἀκρεμόνεσσιν (IX. 220. 3), βότρυς (IX. 220. 4), ἀποκρέμαται (IX. 220. 4), in thesi autem in duabus his formis: πάτρα (VII. 373. 5) et ἔκρυψε (IX. 220. 1). Quia igitur numerus talium productionum apud Antonium Thallum omnino non

est exiguus, atque ab altera parte nulla in voce, quod quidem sciamus nos, corripuit ille vocalem debili positione longam, haud libenter huic adeo poetae dederim epigramma VII 492, in quo adsunt formae *πατρί* atque *ἔτρεφεν*, quarum utraque Atticam exhibet correptionem.

At transeo ad alterum idque, nisi fallor, gravius argumentum. Antonii Thalli quinque ea, quae modo recensui, carmina per Palatinam Anthologiam ita leguntur disposita, ut cum proximis semper epigrammatis efficiant fragmenta Philippeae coronae,[1]) neque id mirum, quum vixerit Thallus initio imperatoriae aetatis. Si quis autem recenti huic poetae vindicat carmen in tres Milesias factum virgines, male perturbat certum illum ordinem, quo, uti supra[2]) duce Weisshaeuplio copiosius exposuimus, in Anthologiae Palatinae partibus VI 87—163 atque VII 364—546 sese excipiunt variae carminum series. Etenim, quo loco disseruimus de earum partium similitudine, inter alia id etiam memoravimus utriusque partis initium ita esse conformatum, ut post Philippeae coronae fragmentum sequatur epigrammatum continens series, quae tota sit referenda ad Meleagri syllogen atque in ea parte, quae attinet ad septimum librum, constare illud Meleagreae coronae fragmentum e carminibus 406—506. Stadtmuellerus in Anthologiae editione sua longum hoc fragmentum Meleagreum discerpsit in sedecim particulas, quas distinxit secundum varia argumentorum genera. Inter Meleagreas autem illas particulas quartam decimam hunc habere ambitum, ut amplectatur epigrammata VII 491—493, in secundo suo volumine annotavit et in margine paginae 343 et in notis, quas expri-

1) Ostendunt epigrammatum tabulae, quas confecit Weisshaeuplius, Antonii Thalli Milesii carmina contineri Philippeae coronae fragmentis his: VI 91 fragm. VI 87—108, VI 235 fragm. VI 227—261, VII 188 fragm. VII 183—188, VII 373 fragm. VII 364—405, IX 220 fragm. IX 215—312.

2) In Capite II.

mendas curavit in sequenti pagina. At vero in annotationibus, quae continentur pagina 345, Antonio Thallo Milesio, qui poeta vixit diu post Meleagri Gadareni aetatem, vindicatur epigramma VII 492. Haec autem enuntiata sua inter se pugnare ipse sero tantum perspexisse videtur Stadtmuellerus; id enim inde efficias, quod in Addendis et corrigendis [1]) demum de epigrammate in tres virgines Milesias scripsit haec: „epigramma origine alienum, Philippeum, Meleagreis ut argumento simile adiungi poterat." Itaque, ne cogeretur ab Antonio Thallo abiudicare epigramma VII 492, hoc solum effugium patuit Stadtmuellero, ut poneret inter centum Meleagreae coronae carmina miro modo unum epigramma multo posterioris aetatis esse insertum. Id tamen in medio reliquit, quis tandem Meleagreis epigrammatis alienum illud carmen annexuisse sit credendus. Quum igitur ipsa quaererem huius rei auctorem, nullum potui reperire. Namque scribae codicis P, si iuxta aliquod carmen adscribunt alterum similis argumenti, alterum illud epigramma extra ordinem collocare solent in paginae margine, quo fit ut talia carmina semper bis occurrant in eo codice, et quidem semel suo loco in textu, semel vero in margine aliis carminibus adscripta. [2]) Itaque, quum epigramma de Milesiarum virginum nece nusquam legatur nisi semel in codicis textu, librarii certe suo arbitrio similibus carminibus VII 491 et 493 id interposuisse non videntur.

Licetne autem fortasse suspicari in longum illud fragmentum Meleagreum carmen unum multo recentius esse receptum sive ab ipso Constantino Cephala sive ab eo

1) Pag. LXXX infra.

2) Veluti ex epigrammatis VII 477, VII 486, VII 450, quae in cod. P a scriba A in textu sunt exarata, duo priora in margine superiore pag. 257, carmen vero VII 450 in margine inferiore pag. 256 iteravit C, ut apponeret haec carmina iuxta epigramma VII 345, quod continetur pag. 257. Quattuor enim illa epigrammata omnia sunt facta in cognomines mulieres.

auctore, e cuius epigrammatum sylloge hausit Cephalas in hac Anthologiae suae parte? Talem suspicionem ut refutem, denuo relegare velim legentes ad secundum meum Caput, in quo in hanc disputavi sententiam non solum epigrammatum series VI 87—133 et VII 364—506, sed etiam omnes reliquas Anthologiae partes eas, in quibus Philippeae coronae fragmentum excipiat Meleagreorum carminum series, esse referendas ad unum eundemque fontem, e quo ita describere soleat Constantinus longiores illas epigrammatum series, ut nullum carmen alienum immisceat ipse. Ut igitur nulla est causa, cur credamus Cephalam in describendis carminibus VII 364—506 discessisse ab hac sua consuetudine, sic non magis putaverim epigramma VII 492, si esset profectum a Philippeo poeta, in Cephalae fonte inseri potuisse Meleagreorum poetarum carminibus, nam illum fontem a talibus confusionibus fuisse liberum ostendunt crebra illa Anthologiae Palatinae fragmenta ex eo derivata, quae nullo loco alienis carminibus sunt inquinata.[1]) Itaque, licet ab ipsa Anyte profectum esse non videatur carmen, quo celebratur trium virginum Milesiarum mors, tamen propter ipsam sedem, quam occupat in Palatina Anthologia, facere non possumus, quin Meleagreo certe alicui poetae id tribuamus.

Atque haec quidem hactenus; transeamus ad epigramma VII 538, quod in Pl$^{M}$ occupat sedem alteram in libri III$^{b}$ capite 12, quod inscribitur *εἰς δούλους*, quum contra Pl$^{B}$ idem hoc carmen exhibet loco sexto in libri III capite 13. Unicum huius poematii distichon Stadtmuellerus edidit hunc in modum:

*Μάνης οὗτος ἀνὴρ ἦν ζῶν ποτε· νῦν δὲ τεθνηκὼς*
*ἶσον Δαρείῳ τῷ μεγάλῳ δύναται.*

---

1) Cf. epigrammatum series V (103—132) + (133—214), VI (227—261) + (262—313), VII (622—645) + (646—665), IX (215—312) + (313—338), IX (541—562) + (563—568), quas omnes ex illo fonte esse haustas monet Weisshaeupl. pag. 26.

Idem editor certiores nos facit ab uno Correctore Anytae vindicari hoc epigramma, quod auctoris nominis sit expers in Pl$^{M}$. Quid autem sibi videatur de illo lemmate ἀνύτης, a Correctore profecto, non in ipsius huius carminis annotationibus, sed paulo post demum ostendit vir clarissimus in iis notis, quibus instruxit Theaeteti epigramma VII 727. Quum enim in fine huius carminis Theaetetus disputet in hanc sententiam frustra genus humanum inanem petere gloriam, quod post vitam exactam apud inferos nulli praecipuus habeatur honor, at contra inter se omnes aequet mors, iure annotat Stadtmuellerus in simili argumento versari epigramma VII 538; quod carmen Theaeteto [1]) vel Cratete [2]) esse dignum, certe non ab Anyte ortum esse monet simul. Sine dubio nititur hoc enuntiatum iis potissimum argumentis, quae pertineant ad ipsum argumentum eius carminis, de cuius auctore nunc a nobis quaeritur. Quum enim constet Tegeaeam poetriam ceteroquin in sepulcralibus suis carminibus non attingere quaestiones philosophicas, quales obiter tractantur in epigrammatis VII 538 atque 727, sed potius id eam agere, ut nobis proponat miseros mortis casus atque superstitum tristitiam, nemo infitias ire potest a Stadtmuellero optimo iure id epigramma, quod haec spectat disputatiuncula, ab Anyte abiudicari atque referri ad eos auctores, quos philosophiae studiis deditos fuisse novimus.

Licet autem post ea, quae exposuimus, vix pluribus verbis opus esse videatur, ut demonstremus ab Anyte certe scriptum non esse epigramma VII 538, tamen, antequam pergam ad reliqua, id etiam memorare libet, mihi quidem

---

1) De hoc poeta cf. G. Knaack apud Susemihl. II. pag. 534.

2) Dicit Crateta Thebanum, Cynicum philosophum, Theophrasti aequalem, de quo vid. W. Christ. pag. 584. Huic Crateti in Anth. Gr. tribuuntur epigrammata haec: VII. 326, IX. 497, X. 104, App. 47.

haec quoque res obstare, ne poetriae nostrae tribuam id carmen, quod in forma *τεθνηκώς*, qua finitur primus versus, Attica correptione brevis habetur reduplicationis syllaba.

Atque sic iam pervenimus ad ultimum epigramma, quod hac paragrapho tractandum erit. Etenim, uti vidimus supra in fine Capitis nostri secundi, in solo codice Matritensi inter Anytes carmina refertur etiam epigramma XVI 229, quod in Pl^B est carmen 81 capitis 12 (cui est titulus *εἰς θεῶν καὶ θεαινῶν ἀγάλματα*) libri IV. Textus autem tetrastichi huius epigrammatis tam in Pl^B quam apud Jacobsium legitur sic:

*Ἐξ αὐτοῦ Διός ἐστιν ὁ φίλτατος ἔκχυτος οὗτος·*
*μαρτυρίην δὲ φέρει τὴν ἐπάνω νεφέλην.*
*Ἑρμείαν γὰρ ἄνακτα τέκεν νεφεληγερέτα Ζεύς·*
*αὐτὰρ ὅγ' Ἑρμείας Πᾶνα τὸν αἰγελάτην.*

Quum auctoritas codicis Matritensis, quem descriptum esse novimus ex Anthologiae Planudeae quodam exemplari, per se parvi sit ducenda, epigramma laudatum, quod apud Planudem nulli certo datur poetae, Anytes carminum reliquiis adnumerare non licebit cuiquam, nisi prius invictis argumentis, ab ipsius epigrammatis sermone, dialecto, argumento repetitis, potuerit probare revera e Tegeaeae poetriae calamo fluxisse id poematium. At eiusmodi argumenta minime abundare mihi videntur. Nam etiamsi cum hoc carmine, quod est factum in Panis dei aliquod signum, quodammodo conveniant ea Anytes epigrammata, in quibus pariter describantur deorum signa, quorum carminum praesertim nunc memorare velim epigrammata IX 144 atque IX 314, tamen ea re ab Anytes laudatis carminibus discrepare dixerim epigramma XVI 229, quod in eo altum sit silentium de loco, quo sit positum Panis illud signum, quum contra nostra poetria in similibus suis epigrammatis fuse soleat celebrare amoenitatem eorum locorum, ubi reperiantur cantata signa. Porro tradita carminis dialectus non

est ea, qua usam esse novimus Anyten nostram atque postremo continentur hoc epigrammate nonnulla vocabula, quae non quadrare mihi videntur in Tegeaeae poetriae sermonis consuetudinem; veluti epicam formam *Ἑρμείας*, quam bis usurpavit auctor huius epigrammatis, alienam putaverim ab Anytes carminibus, e quibus epigramma IX 314 incipit a iusta Dorica forma *Ἑρμᾶς*.

His de causis in hanc adducimur opinionem, ut credamus in codice Matritensi ideo inter Anytes epigrammata etiam esse relatum carmen XVI 229, quod codicis auctor per errorem continuaverit textus Anytes epigrammatis XVI 228 atque subsequentis huius epigrammatis adespoti, id quod eo magis suspicari nobis licet, quod ibidem simili errore poetriae carminum corollae esse insertum alienum epigramma VII 238 vidimus supra (pag. 171 sq.).

Ex praecedentibus apparet numerum eorum carminum, quae iniuria dantur Tegeaeae poetriae, exiguum esse in codice Palatino, ubi sola epigrammata VII 492 atque VII 538 perperam Anytes nomine sunt inscripta a Correctore, paulo saepius errasse Planudem, qui Anytae vindicaverit aliena carmina VII 189, VII 232, VII 236, maximum esse numerum horum errorum in codice Matritensi, utpote qui tamquam Anytes carmina vel quattuor exhibeat epigrammata, quae ab ea profecta non sunt, et quidem VII 232, VII 236, VII 238, XVI 229. Uti supra iam fuit occasio exponendi, postremi huius codicis errores illi satis crebri omnes inde proveniunt, quod eius auctor, quum hauriret ex Anthologiae Planudeae quodam exemplari, aut probavit vitiosa lemmata, in exemplo suo obvia, aut interdum cum textu alicuius epigrammatis, ab ipsa Anyte compositi, coniunxit textum subsequentis carminis adespoti.

At eorum quoque vitiorum, quae commisit Planudes in exarandis lemmatis trium illorum epigrammatum, quae in ipsius manuscripto sunt carmina $III^b$. 21. 1, $III^b$. 4. 1,

III$^{b}$. 4. 2, perspicere mihi videor causas. Ortus est tertius ille liber Planudeus a Cephalana Anthologia, in qua sine dubio tria haec epigrammata erant instructa iustis illis auctorum indicibus, qui in Palatino codice eis sunt adscripti a Correctore, qui librarius ad carmen VII 189 (III$^{b}$. 21. 1) exaravit: *ἀριστοδίκου ῥοδίου*, ad epigramma VII 232 (III$^{b}$. 4. 1): *ἀντιπάτρου*, ad carmen VII 236 (III$^{b}$. 4. 2): *ἀντιπάτρου θεσσαλονικέως*. Huc igitur redit quaestio, ut investigemus, qui factum sit ut nomina illa *Ἀριστοδίκου Ῥοδίου*, *Ἀντιπάτρου*, *Ἀντιπάτρου Θεσσαλονικέως* apud Planudem abierint in Anytes nomen. Horum autem errorum praecipua causa mihi videtur sita esse hac in re, quod iusta illa auctorum nomina omnia incipiant ab eadem littera atque poetriae nostrae nomen; quin latius etiam patet similitudo *Ἀντιπάτρου* atque *Ἀνύτης* nominum, quorum utrumque post *α* initiale exhibet litteram *ν*. Quodsi in eo codice, quo exemplo usus est Planudes, iusta auctorum nomina compendiose aut parum perspicue erant exarata carebantque gentilibus nominibus, quibus eorum duo in Palatino codice instruxit Corrector, quid tunc mirum quod Anytes nomine ea permutavit Planudes? Ceterum et haec subiit cogitatio fortasse hos errores ipso codice Marciano esse vetustiores, ita ut nullum propter eos crimen cadat in Planudem sintque potius referendi ad eum, quo duce usus est Maximus. Quisquis autem primus Anytae adscripsit carmina VII 189, VII 232, VII 236, causa certe eorum, quos commisit, errorum, repetenda videtur a primis litteris omnium illorum auctorum nominum.

Restant duo ea epigrammata, a Correctore Anytae tributa, quorum alterum iniuria Antonio Thallo vindicavit Stadtmuellerus, alterum a Theaeteto aut Cratete profectum esse videtur eidem. Quomodo autem sit factum, ut Tegeaeae poetriae nomen perperam iis adscripserit Corrector, hac de re nihil pro certo ausim definire, quia horum errorum nulla

mihi succurrit probabilis explicatio. Manus ergo abstineo.

Finem autem mihi impositurae huic paragrapho id certe licet contendere non nimia audacia opus fuisse, ut ab Anyte abiudicarem vel septem epigrammata, quae singulis in fontibus ei tribuuntur, quum non solum argumentis possit demonstrari ea carmina a nostra poetria profecta esse non posse, verum etiam, si minus semper at plerumque, indicari potuerint causae, cur librarii interdum in adscribendis epigrammatum lemmatis abusi sint Anytes nostrae nomine.

---

## § 4. Denuo eduntur Anytes carminum reliquiae.

Sequitur ex iis, quae supra exposui, mea quidem opinione viginti omnino ad nos pervenisse Anytes epigrammata. Etsi autem passim iam memoravi, quibus locis retinendae mihi videantur codicum lectiones, quas emendationes ipsa afferre velim tradito textui, quae coniecturae ab aliis profectae prae ceteris mihi arrideant, ab re tamen esse non puto, antequam finiam hoc opusculum, denuo legentibus proponere, quomodo constituendus videatur Anytes epigrammatum textus. Qua de causa hunc composui conspectum:

VI. 123.

*Ἕσταθι τᾷδε,*[1] *κράνεια βροτοκτόνε, μηδ' ἔτι λυγρὸν*
*χάλκεον ἀμφ' ὄνυχα στάζε φόνον δαΐων·*[2]
*ἀλλ' ἀνὰ μαρμάρεον δόμον ἥμενα αἰπὺν Ἀθάνας*
*ἄγγελλ' ἀνορέαν Κρητὸς Ἐχεκρατίδα.*

---

1) Stadtmuellerum optimo iure formam *τᾷδε* substituisse pro codicis P lectione *τῇιδε* exposui Cap. III § 1.

2) Quod in voce *μενεδαΐου*, quae continetur Anytes versu VII. 208. 1, producitur syllaba media, ea re omnino non impediri nos, ne hoc loco probemus formam *δαΐων* studui ostendere Cap. III § 1.

VI. 153.

Βουχανδὴς ὁ λέβης· ὁ δὲ θεὶς Ἐριασπίδα υἱός,
Κλεύβοτος· ἁ πάτρα δ' εὐρύχορος Τεγέα·
τἀθάνᾳ δὲ τὸ δῶρον· Ἀριστοτέλης δ' ἐπόησεν
Κλειτόριος, γενέτᾳ ταὐτὸ λαχὼν ὄνομα.

VI. 312.

Ἡνία δή τοι παῖδες ἐνί, τράγε, φοινικόεντα
θέντες καὶ λασίῳ φιμὰ περὶ στόματι
ἵππια παιδεύουσι θεοῦ περὶ ναὸν ἄεθλα,
ὄφρ' αὐτοὺς ἐφορῇ [1]) νήπια τερπομένους.

VII. 190.

Ἀκρίδι, τᾷ κατ' ἄρουραν ἀηδόνι, καὶ δρυοκοίτᾳ
τέττιγι ξυνὸν τύμβον ἔτευξε [2]) Μυρώ,
παρθένιον στάξασα κόρα δάκρυ· δισσὰ γὰρ αὐτὰς
παίγνι' ὁ δυσπειθὴς ᾤχετ' ἔχων Ἀΐδας.

VII. 202.

Οὐκέτι μ' ὡς τὸ πάρος πυκιναῖς πτερύγεσσιν ἐρέσσων
ὄρσεις ἐξ εὐνᾶς [3]) ὄρθριος ἐγρόμενος·
ἦ γάρ σ' ὑπνώοντα σίνις λαθρηδὸν ἐπελθὼν
ἔκτεινεν λαιμῷ ῥίμφα καθεὶς ὄνυχα.

VII. 208.

Μνᾶμα τόδε φθιμένου μενεδαΐου εἵσατο Δᾶμις
ἵππου, ἐπεὶ στέρνον τοῦδε δαφοινὸν Ἄρης
τύψε· μέλαν δέ οἱ αἷμα ταλαυρίνου διὰ χρωτὸς
ζέσσ', ἐπὶ δ' ἀργαλέᾳ βῶλον ἔδευσε φονᾷ.

VII. 215.

Οὐκέτι δὴ πλωτοῖσιν ἀγαλλόμενος πελάγεσσιν
αὐχέν' ἀναρρίψω βυσσόθεν ὀρνύμενος,

---

1) Cur lectionem Φρουρῇ, quam proposuit Stadtmuellerus, abiudicandam censeam ab hoc versu memoravi Cap. III § 2.

2) Mea quidem opinione imperfectum ἔτευχε, quod pro ἔτευξε supponendum esse putat Stadtmuellerus, alienum esse ab hoc epigrammate exposui Cap. III § 3.

3) Ut disserui Cap. III § 1 hanc formam requirit Dorica Anytes carminum dialectus.

οὐδὲ περὶ σκαρθμοῖσι [1]) νεὼς περικαλλέα χείλη
  ποιφύξω τἀμὰ τερπόμενος προτομᾷ·
ἀλλά με πορφυρέα πόντου νοτὶς ὧσ' ἐπὶ χέρσον,
  κεῖμαι δ' ἀξαλέαν [2]) τάνδε παρ' ἀϊόνα. [3])

VII. 486.

Πολλάκι τῷδ' ὀλοφυδνὰ κόρας ἐπὶ σάματι Κλεινὼ
  μάτηρ ὠκύμορον παῖδ' ἐβόασε φίλαν,
ψυχὰν ἀγκαλέουσα Φιλαινίδος, ἃ πρὸ γάμοιο
  χλωρὸν ὑπὲρ ποταμοῦ χεῦμ' Ἀχέροντος ἔβα.

VII. 490.

Παρθένον Ἀντιβίαν κατοδύρομαι, ἇς ἐπὶ πολλοὶ
  νυμφίοι ἱέμενοι πατρὸς ἵκοντο δόμον
κάλλευς καὶ πινυτᾶτος ἀνὰ κλέος. ἀλλ' ἐπὶ πάντων
  ἐλπίδας οὐλομένα Μοῖρ' ἐκύλισε πρόσω.

VII. 646.

Λοίσθια δὴ τάδε πατρὶ φίλῳ περὶ χεῖρε βαλοῦσα
  εἶπ' Ἐρατὼ χλωροῖς δάκρυσι λειβομένα·
Ὦ πάτερ, οὔ τοι ἔτ' εἰμί, μέλας δ' ἐμὸν ὄμμα καλύπτει
  ἤδη ἀποφθιμένας κυάνεος θάνατος. [4])

VII. 649.

Ἀντί τοι εὐλεχέος θαλάμου σεμνῶν θ' ὑμεναίων
  μάτηρ στῆσε τάφῳ τῷδ' ἐπὶ μαρμαρέῳ [5])

---

[1]) Quae me adducant causae, ut hanc praestantiorum Suidae codicum lectionem praeferam crebris illis coniecturis, in quibus recurratur ad epicam terminationem *-οιο*, disputavi Cap. III § 1.

[2]) Qua sim usa argumentatione ad defendendam hanc meam coniecturam vid. Cap. III § 2.

[3]) Doricam hanc formam necessario esse reponendam pro lectione *ἠιόνα*, quam praebet codex P, studui ostendere Cap. III § 1.

[4]) Tradita verba *κυάνεος θάνατος* sollicitanda non videri hac praesertim de causa, quod Myrus epigramma VI 119 desinat in vocabula *νεκτάρεον πέταλον* argumentata sum Cap. III § 2.

[5]) Iure hanc formam substituisse Dorvillium pro codicum lectionibus *μαρμαρίνῳ* atque *μαρμαρίναν* probare sum conata Cap. III § 3.

παρθενικὰν μέτρον τε τεὸν καὶ κάλλος ἔχουσαν,[1]
Θέρσι· ποτιφθεγκτὰ δ' ἔπλεο καὶ φθιμένα.

VII. 724.

Ἦ ῥα μένος σε, Πρόαρχ', ὄλεσ' ἐν δαΐ, δῶμά τε πατρὸς
Φειδία ἐν δνοφερῷ πένθει ἔθου φθίμενος.
ἀλλὰ καλόν τοι ὕπερθεν ἔπος τόδε πέτρος ἀείδει,
ὡς ἔθανες πρὸ φίλας μαρνάμενος πατρίδος.

IX. 144.

Κύπριδος οὗτος ὁ χῶρος, ἐπεὶ φίλον ἔπλετο τήνᾳ
αἰὲν ἀπ' ἠπείρου λαμπρὸν ὁρῆν πέλαγος,
ὄφρα φίλον ναύτῃσι τελῇ πλόον· ἀμφὶ δὲ πόντος
δειμαίνει, λιπαρὸν δερκόμενος ξόανον.

IX. 313.

Ἵζεο τᾶσδ'[2] ὑπὸ καλὰ δάφνας εὐθαλέα φύλλα,
ὡραίου τ' ἄρυσαι νάματος ἁδὺ πόμα,
ὄφρα τοι ἀσθμαίνοντα πόνοις θέρεος φίλα γυῖα
ἀμπαύσῃς, πνοιᾷ[3] τυπτόμενα Ζεφύρου.

IX. 314.

Ἑρμᾶς τᾷδ' ἕστακα παρ' ὄρχατον ἠνεμόεντα
ἐν τριόδοις, πολιᾶς ἐγγύθεν ἀϊόνος,
ἀνδράσι κεκμηῶσιν ἔχων ἄμπαυσιν ὁδοῖο·
ψυχρὸν δ' ἀχραὲς κράνα ὑποπροχέει.[4]

IX. 745.

Θάεο τὸν Βρομίου κεραὸν τράγον, ὡς ἀγερώχως
ὄμμα κατὰ λασίαν γαῦρον ἔχει γενύων,

---

1) Quibus freta argumentis Planudeam hanc lectionem praetulerim Aeolicae formae ἔχοισαν, quae hoc loco occurrit in codice P, apparet ex iis, quae Cap. III § 3 disputavi de epigrammate VII 649.

2) De lectione totius versus IX. 313. 1 ac praecipue de duobus prioribus eius vocabulis vidimus Cap. III § 2.

3) De hac forma cf. Cap. III § 3 annot. 3. pag. 147.

4) Quum tradita lectio ὑποϊάχει bonum sensum non praebeat atque praeterea haec ei obstet difficultas, quod explicari nequeat productio vocalis ο, quam requirit epigrammatis metrum, recepi Schaeferi coniecturam ὑποπροχέει, a Reitzensteinio quoque comprobatam, qua de re cf. Epigr. u. Skol. pag. 125.

κυδιόων ὅτι οἱ θάμ' ἐν οὔρεσιν ἀμφὶ παρῇδα
βόστρυχον εἰς ῥοδέαν Ναῒς ἔδεκτο χέρα.

XVI. 228.

Ξεῖν', ὑπὸ τὰν πτελέαν [1]) τετρυμένα γυῖ' ἀνάπαυσον·
ἁδύ τοι ἐν χλωροῖς πνεῦμα θροεῖ πετάλοις.
πίδακά τ' ἐκ παγᾶς ψυχρὰν [2]) πίε· δὴ γὰρ ὁδίταις
ἄμπαυμ' ἐν θερμῷ καύματι τοῦτο φίλον.

XVI. 231.

Τίπτε κατ' οἰόβατον, Πὰν ἀγρότα, δάσκιον ὕλαν
ἥμενος, ἁδυβόᾳ τῷδε κρέκεις δόνακι;
ὄφρα μοι ἑρσήεντα κατ' οὔρεα ταῦτα νέμοιντο
πόρτιες ἠϋκόμων δρεπτόμεναι σταχύων.

XVI. 291.

Φριξοκόμᾳ τόδε Πανὶ καὶ αὐλιάσιν θέτο Νύμφαις
δῶρον ὑπὸ σκοπιᾶς Θεύδοτος οἰονόμος:
οὕνεχ' ὑπ' ἀζαλέου θέρεος μέγα κεκμηῶτα
παῦσαν, ὀρέξασαι χερσὶ μελιχρὸν ὕδωρ.

App. 6.

Ὤλεο δή ποτε, Μαῖρα, πολύρριζον παρὰ θάμνον,
Λοκρί, φιλοφθόγγων ὠκυτάτα [3]) σκυλάκων,
τοῖον ἐλαφρίζοντι τεῷ ἐγκάτθετο κώλῳ
ἰὸν ἀμείλικτον ποικιλόδειρος ἔχις.

---

1) Reitzensteinium egregie emendasse Anytes versum XVI. 228. 1 ea re, quod in locum traditae vocis πέτραν, collato Theocriti versu I 21, supposuerit lectionem πτελέαν vidimus Cap. III § 2; cuius paragraphi cf. imprimis annotatio 1. pag. 129.

2) De hac forma videatur observatiuncula mea, quae in Cap. III § 3 pag. 151 sq. appendicis instar sequitur post ea, quae exposui de auctore epigrammatis IX 313.

3) Hucusque vulgo iniuria hoc loco esse editam Ionicam formam ὠκυτάτη exposui Cap. III § 1.

# INDEX.

# THESES.

I.

In constituendo carminum textu tam ipsius Anytes quam proximorum eius imitatorum atque in quaestionibus de ratione, quae intercesserit inter horum poetarum artem epigrammaticam, metricarum proprietatum maior habenda est ratio quam hucusque haberi solet.

II.

Iniuria Reitzensteinius (*Epigramm und Skolion* pagg. 244—249) contendit Anytes epigrammate XVI 231 Pana ut artis bucolicae inventorem celebrari, impugnari autem illud carmen a Theocrito (Id. I. vv. 123—130).

III.

Mnasalcas, qui poeta Anyte et Nicia fuit recentior, non unice scholae, quae fertur, Peloponnesiacae, sed Alexandrinae quoque sectator fuit.

IV.

Epigramma Anth. Gr. VII 492 Niciae, Anytes sectatori, vindicandum est.

V.

Plinii verba (Nat. Hist. XXXIV. § 57): „<Myronem> fecisse et cicadae monumentum ac locustae carminibus

suis Erinna significavit" referenda sunt ad prius distichon epigrammatis Anth. Gr. VII 190. Inter se confudit Plinius Erinnam et Anyten poetrias ac rursus Myronem statuarium et Myro poetriam.

## VI.

Iambl. de vita Pyth. § 267 extr.

*Πυθαγορίδες δὲ γυναῖκες αἱ ἐπιφανέσταται Τιμύχα, γυνὴ Μυλλία τοῦ Κροτωνιάτου, Φίλτις, θυγάτηρ Θεόφρονος τοῦ Κροτωνιάτου, Βυνδακίς, ἀδελφὴ Ὀκέλλου καὶ Ὀκύλου τῶν Λευκανῶν, Χειλωνίς, θυγάτηρ Χείλωνος τοῦ Λακεδαιμονίου, Κρατησίκλεια Λάκαινα, γυνὴ Κλεάνορος τοῦ Λακεδαιμονίου, Θεανὼ γυνὴ <Πυθαγόρου, Δεινωνὼ γυνὴ> τοῦ Μεταποντίνου Βροντίνου, Μυῖα, γυνὴ Μίλωνος τοῦ Κροτωνιάτου, Λασθένεια Ἀρκάδισσα, Ἁβροτέλεια, Ἁβροτέλους θυγάτηρ τοῦ Ταραντίνου, Ἐχεκράτεια Φλιασία, Τυρσηνὶς Συβαρῖτις, Πεισιρρόδη Ταραντίς, Νεστεάδουσα Λάκαινα, Βρυὼ Ἀργεία, Βαβέλυμα Ἀργεία, Κλεαίχμα, ἀδελφὴ Αὐτοχαρίδα τοῦ Λάκωνος. αἱ πᾶσαι ιζ'.*

Addenda sunt, quae verba uncinis inclusa inserui.

## VII.

Plat. Protag. pag. 331 E.

*ἀλλ' οὐχὶ τὰ ὅμοιόν τι ἔχοντα ὅμοια δίκαιον καλεῖν [οὐδὲ τὰ ἀνόμοιόν τι ἔχοντα ἀνόμοια] κἂν πάνυ σμικρὸν ἔχῃ τὸ ὅμοιον.*

Verba uncinis inclusa e textu sunt eliminanda.

## VIII.

In Tac. Ann. XIII. 15 sententiarum ordo in fine ita est restituendus:

„Primum venenum ab ipsis educatoribus (nam ut proxi-

„mus quisque Britannico neque fas neque fidem pensi „haberet, olim provisum erat) accepit."

IX.

Tac. Ann. XIV. 7. in. legendum esse censeo:

„quod contra subsidium sibi, nisi quid Burrus et Seneca? „quos statim acciverat, incertum expertes an et ante rei „gnaros."

X.

Tibull. II. 1. 37 sqq. Versuum ordo ita restituendus esse videtur:

37. Rura cano rurisque deos. his vita magistris
38. Desuevit querna pellere glande famem:
41. Illi etiam tauros primi docuisse feruntur
42. Servitium et plaustro supposuisse rotam,
39. Illi conpositis *primum docuere* tigillis
40. Exiguam viridi fronde operire domum.
43. Tunc victus abiere feri, tunc consita pomus,
44. Tunc bibit inriguas fertilis hortus aquas.

Revocato iusto versuum ordine v. 39 pro *primum docuere* legendum est: *primi docuisse.*

XI.

Ovid. Trist. I. 1. 35 sq.

*Ut peragas* mandata, liber, culpabere forsan,
Ingeniique minor laude ferere mei.

Pro *ut peragas* propono: *tu peragens.*

XII.

In Cic. epistula ad fam. VII. 33. 2. tradita lectio *pluribus* iniuria tentata est a viris doctis.

## XIII.

Caes. de bell. Gall. I. 27. 3.

Eo postquam Caesar pervenit, obsides, arma, [servos,] qui ad eos perfugissent, poposcit.

Expunxi emblema.

## XIV.

Diod. L. XVII. C. 20. § 1.

*ὁ γὰρ τῆς Ἰωνίας σατράπης Σπιθροβάτης, γένει μὲν ὢν Πέρσης, Δαρείου δὲ τοῦ βασιλέως γαμβρός, ἀνδρείᾳ δὲ διαφέρων, μετὰ μεγάλης δυνάμεως ἱππέων ἐπέρραξε τοῖς Μακεδόσιν.*

A Diodoro confunduntur duo Persarum duces, nempe Spithridates, Lydiae atque Ioniae satrapa, et Mithridates, Darii regis gener.

## XV.

Iniuria Droysenus (*Geschichte des Hellenismus* I. 1. pag. 323) contendit apud Arrianum III. 5. 1 lacunam esse statuendam; excidisse enim quaedam, quibus memoraretur adventus quattuor milium mercenariorum militum, quos duceret Cleander.

## XVI.

Plut. Pyrrh. C. 2.

*Ἐπεὶ δὲ στασιάσαντες οἱ Μολοσσοὶ καὶ τὸν Αἰακίδην ἐκβαλόντες ἐπηγάγοντο τοὺς Νεοπτολέμου παῖδας* e. q. s.

Verbis *οἱ Μολοσσοὶ..... ἐπηγάγοντο τοὺς Νεοπτολέμου παῖδας*, in quibus haerere solent interpretes, Plutarchus generali ratione significare voluit anno 317 Epirotas, expulso Aeacide, Arybbae filio, regnum detulisse ad regiae gentis alteram stirpem, quae traheret originem a Neoptolemo I, i. e. ad Neoptolemum II, nepotem Neoptolemi I.

XVII.

Neoptolemus II in Epiro ter obtinuit regnum, his annis:
331 330 (cum propter iuvenilem eius aetatem eius nomine regnavit Cleopatra mater).
317–313.
302–295.

XVIII.

Q. Curt. Ruf. X. 5. 23.

Subibat inter haec animum <sc. Sisygambis> octoginta fratres suos eodem die ab Ocho, saevissimo regum, trucidatos adiectumque stragi tot filiorum patrem.

Pater Sisygambis fuit Ostanes, Artaxerxis II frater.

XIX.

Romae nemo umquam habuit gentem aut usus est iuribus gentiliciis, nisi qui esset Patricius.

XX.

Inter annos 241 et 220 35 tribus cum 30 curiis ita sunt coniunctae, ut qui essent in certa quadam tribu, ii omnes in eandem reciperentur curiam.

XXI.

Doctrina de atomis apud Graecos prodiit ex correctione disciplinae Anaxagoreae.

XXII.

Errant, qui fidem denegant iis, quae de Graecarum poetriarum statuis tradit Tatianus (Orat. ad Graec. Cap. 33).




UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 15 14 18 09 015 1